

181 **I**VLIVS Episcopus servus servorum Dei ad perpetuam rei memoriam. Decet Romanum Pontificem ea, quę per predecessores suos in favorem Militiarum, & illarum personarum, præsertim sub regulari habitu in terris pro exaltatione fidei contra eius nominis inimicos viriliter pugnantium concessa sunt, approbare, & confirmare, suarumque literarum præsidio communire, ut cō firmius mancant, quo maiori fuerint munimine roborata, ac etiam aliqua de nouo concedere, prout cognoscat in Domino salubriter expedire. Sane pro parte dilectorum filiorum nobilis viri Georgij Ducis Colimbriensis Sancti Iacobi de Spata Sancti Augustini, & de Auis Cisterciensis Ordinum Regni Portugallie Militiarum perpetui Administratoris per Sedem Apostolicam deputati, ac Priorum, Militum, & fratrum dictarum Militiarum nobis nuper exhibita petitio continebat, quod alias felicitis recordationis Nicolao Pape Quinto prædecessori nostro pro parte quondam Fernandi Principis dicti Regni, ac Militie huiusmodi Sancti Iacobi de Spata perpetui Governatoris exposito quod cum multa, & diuersa privilegia, exemptiones, prærogatiuę, alięque concessiones, & indulta dilectis filijs Magistro, & Conuentui, Militibus, & fratribus dictę Militie de Spata in Regno Castellę constitutis á diuersis Romanis Pontificibus concessa fuissent, apud nonnullos in dubium reuocabatur an privilegia, prærogatiuę, concessiones, & indulta huiusmodi ad Magistrum, Conuentum, Milites, fratres, Ecclesias, personas dictę Militie in Regno Portugallie constitutas censeretur extendi. Idem Nicolaus prædecessor ambiguitatis huiusmodi scrupulum volens amouere, ipsius Fernandi Governatoris supplicationibus inclinatus eidem Fernando Governatori, suisque successoribus Magistris, & Governatoribus, seu Administratoribus, Conuentui, Magistratui, Militibus, & fratribus in dicto Regno Portugallie constitutis tunc presentibus, & futuris quod ipsi, & eorum singuli, nec non personę, loca, & Ecclesie dictę Militie in dicto Regno Portugallie constituta omnibus, & singulis privilegijs, prærogatiuis, concessionibus, indultis Magistris, Conuentui, militibus, & fratribus Militie dictę in dicto Regno Castellę constitutis quemodolibet concessis, & quibus illi gaudebant, & utebantur, etiam uti, & gaudere, perpetuis futuris temporibus, possent, & valerent, indulsit, ac etiam omnia, & singula privilegia, exemptiones, prærogatiuas, concessiones, & indulta quęcumque, quotcumque, & qualicumque forent, á prædecessoribus nostris, tunc suis, Romanis Pontificibus, etiam de Papatu contendentibus, eidem Militie concessa quo-

quorum tenores pro expressis haberi volens confirmavit, & appro-
 bavit, prout in ipsius Nicolai prædecessoris literis dicitur plenius
 contineri. Quare pro parte Georgij Ducis, & Administratoris, Priorum,
 Militum, & fratrum prædictorum assententium eundem Geor-
 gium claræ memoriæ Ioannis Secundi Portugalliæ, & Algarbiorum
 Regis natum esse, seque secundum statuta, & ordinationes Militia-
 rum Regni Castellæ huiusmodi Sancti Iacobi de Spata, & de Ca-
 latraua, ac de Alcantara respectiue vivere, ac eorum Ordinum
 existere, Nobis fuit humiliter supplicatum, vt literis prædictis robur
 apostolicæ approbationis adijcere, ac eis, vt tam ipsi, quam pro tem-
 pore de Spata, & de Auis Magistratus Regni Portugalliæ, Magistri,
 Priores, ac Militiarum huiusmodi milites, & fratres, perpetuis futuris
 temporibus, omnibus, & singulis gratijs, libertatibus, indultis, con-
 seruatorijs, priuilegijs, indulgentijs, exemptionibus, honoribus, & li-
 teris apostolicis, Magistris, Prioribus, Militibus, & fratribus Sancti
 Iacobi, & de Calatraua, ac de Alcantara Regni Castellæ, & Legionis
 Militiarum in genere quouismodo à Nobis, & Sede Apostolica cõ-
 celsis, & in posterum concedendis, vti, & gaudere, ac loco iudicum
 in literis eis concessis deputatorum, alios iudices in dicto Regno
 Portugalix in ecclesiastica dignitate constitutos sibi eligere possint,
 licentiam concedere, ac aliàs in præmissis opportune providere de
 benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur Georgium Ducem,
 & Administratorem, Priores, Milites, & Fratres præfatos, ac eorum
 singulos à quibusuis excommunicationis, suspensionis, & interdicti,
 alijsque ecclesiasticis sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab ho-
 mine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet inno-
 dati existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, ha-
 rum serie, absoluentes, & absolutos fore censentes huiusmodi suppli-
 cationibus inclinati literas, ac priuilegia, conseruatorias, exemptiones
 prerogatiuas, indulgentias, aliaque concessiones, & indulta huius-
 modi apostolica autoritate, tenore præsentium, approbamus, nec
 non Magistro, Prioribus Militibus, & fratribus Sancti Iacobi de Spa-
 ta, & de Auis Militiarum Regni Portugalliæ huiusmodi præsentibus,
 & pro tempore existentibus, perpetuis, & futuris temporibus, vt om-
 nibus, & singulis gratijs, libertatibus, indultis, conseruatorijs, priuile-
 gijs, indulgentijs, exemptionibus, honoribus, & literis apostolicis,
 quibus Magistri, Priores, Milites, & fratres Sancti Iacobi de Spata, &
 de Calatraua, ac de Alcantara Militiarum Regni Castellæ, & Legio-
 nis huiusmodi vtuntur, potiuntur, & gaudēt, ac vti, potiri, & gaudere
 possunt.

poterunt; quomolibet in futurum, vti, potiri, & gaudere valeant, ac si eis in genere concessa fuissent, ac loco iudicum in literis Militiarum Regni Castellæ huiusmodi concessis deputatorum alios iudices, in dignitate tamen similiter ecclesiastica constitutos in dicto regno Portugalliæ, qui eandem potestatem habeant, quam iudices in eisdem literis deputati habent, seu habere poterunt, quomolibet in futurum, deputare libere, & licite valeat, eisdem auctoritate, & tenore, de specialis dono gratiæ, indulgemus. Volumus autem, & dicta auctoritate, decernimus quod privilegiorum, gratiarum singularum concessarum prædictorum, ac præsentium literarum transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis, & sigillo alicuius Prælati munitis plena, & integra fides adhibeatur, tã in iudicio, quã extra illud, quæ literis ipsis originalibus adhiberetur, si originaliter ostense, & exhibitæ forent, non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus apostolicis, ac statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, vsibus, & naturis Militiarum, & Ordinum prædictorum, iuramento confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, ceterisque contrarijs quibuscumque; Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ absolutionis, approbationis, indulti, voluntatis, & decreti infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo septimo, Septimo Calendas Iulij Pontificatus nostri anno quarto.

*CONCEDO PAPA CLEMENTE AO MES-
sire, & Cavalleiros do Templo, que não respondão em luizo em razão
de Bullas, que não fação menção da Ordem.*

182 **C**LEMENS Episcopus servus servorum Dei. Dilectis filiis Magistro, & fratribus Domus Militiæ Templi Hierosolomitani salutem, & Apostolicam benedictionem. Quietis vestræ providere volentes ad instar felicis recordationis Alexandri, & Urbani prædecessorum nostrorum Romanorum Pontificum, auctoritate vobis presentium, indulgemus, ut si contra vos super his, quæ Ordini vestro à Sede Apostolica sunt indulta, contra tenorem privilegiorum vestrorum Apostolicas literas impetrari contigerit, quæ de Ordine vestro non fecerint mentionem, per eas minime teneamini respondere. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ

nostræ concessionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursurum. Datum Assisij, Kalendis Septembris, Pontificatus nostri anno primo.

Clausula de hñâ Bulla de Grègorio Nono.

MONEMVS itaque Vniuersitatem vestram, atque præcipimus, quatenus si quando clerici, vel laici parochiani vestri in aliquem prædictorum fratrum capiendo, vel de suis equitaturis deiciendo, aut aliàs inhonestè tractando violentas manus iniiciunt, huiusmodi præsumptores, sublato appellationis obstaculo, accensis candelis, dilatione, ac occasione postpositis, excommunicatos publicè denūcietis, & tandiu faciatis, sicut excommunicatos arctius evitari, donec passo injuriam congruè satisfaciant, & pro absolutionis beneficio impetrando Apostolico se conspectui repræsentent. Eos verò, qui in prædictos fratres manus non iniiciunt violentas, sed equitaturas, aut alia eorum bona violenter diripiunt, si a vobis commoniti ablata eis restituere noluerint, vinculo anathematis adstringatis, quo ipsos usque ad satisfactionem condignam teneatis adstrictos.

Clausula de hñâ Bulla de Clemente Quarto.

MONEMVS igitur Vniuersitatem vestram, atque præcipimus, quatenus si quando clerici, vel laici parochiani vestri in aliquem prædictorum fratrum capiendo, vel de suis equitaturis eiciendo, aut aliàs inhonestè tractando violentas manus iniiciunt, huiusmodi præsumptores, sublato appellationis obstaculo, accensis candelis, dilatione, & occasione postposita, excommunicatos publicè nunciatis; & tandiu faciatis sicut excommunicatos arctius evitari, donec passo injuriam congruè satisfaciant, & pro absolutionis beneficio impetrando Apostolico se conspectui repræsentent. Eos vero, qui in prædictos fratres manus non iniiciunt violentas, sed equitaturas, aut alia eorum bona violenter diripiunt, si à vobis commoniti ablata eis noluerint restituere, & de illatis iniurijs satisfactionem congruam exhibere, vinculo anathematis adstringatis, quo ipsos usque ad dignam satisfactionem teneatis adstrictos.

S 3

Clausula

*Clausula da Bulla da confirmação da Ordem de
Calatrava.*

NIHILOMINVS præsentì decreto sancimus, vt si quis in aliquem fratrum vestrorum temerarias manus iniecerit, nisi rationabilis causa obsistat, excommunicationis sententia sit adstrictus.

Clausula da Bulla de Innocencio Terceiro.

NIHILOMINVS vero præsentì decreto sancimus, vt si quis in aliquem fratrum vestrorum temerarias manus iniecerit, nisi rationabilis causa obsistat, excommunicationis sententia sit adstrictus.

*BULLA DE IVLIO II, PORQUE CONCEDE
aos Freyres da Ordem de Sanctiago constituídos em or-
dens Sacras todos os privilegios concedidos, & por con-
ceder aos Freires da Ordem de Auis, & de
Christo, & por virtude desta estáam con-
forme a Bulla concedida aos
de Auis.*

184 **I**VLIVS Episcopus servus servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Dũ ad fructus vberes, quos sacra Religio dilectorum filiorum Magistri, Priorum, & fratrum Militiæ S. Iacobi de Spata Ordinis S. Augustini in agro Ecclesiæ Militantis in propagatione eiusdem Religionis, & fidei Catholicæ contra illius inimicos cõtinua defensione, activã simul, & contemplatiuã vitam docendo, vtiliter produxit, hæctenus, & in futurũ producere, firma spe, speramus diligenter attendimus, dignũ censemus, & congruũ, vt illa, quæ ipsius Militiæ incrementum concernere poterunt, benignis favoribus & gratijs concedamus. Sane pro parte dilecti filij nobilis viri Georgij Ducis Colimbriensis claræ memoriæ Ioannis secundi, dum vixit, Portugaliæ, & Algarbiorum Regis nati, qui eiusdem S. Iacobi de Spata, & de Auis Cisterciensis Ordinis Regni Portugaliæ Militiarum in spiritualibus, & temporalibus, per Sedem Apostolicam Administrator deputatus existit, nobis nuper exhibita petitio continebat. Quod licet tam per nos, quam Sedem prædictam, tam eiusdem S. Iacobi

Iacobi, & de Auis, quam etiam I E S V Christi eiusdem Cisterciensis Ordinis Militijs dicti Regni, & cuilibet earum, diuersa privilegia, & indulta sigillatim concessa, & omnibus, ex eisdem Militijs, illarumque Magistri, Præceptores, Priores, Milites, & fratres privilegijs, indultis, ac gratijs cuilibet dictarum Militiarum, vt præfertur, concessis generaliter vtantur, potiantur, & gaudeant, a nonnullis tamen in dubiū reuocatur an fratres dictæ Militiæ S. Iacobi in subdiaconatus, diaconatus, & præbyteratus ordinibus constituti privilegijs, indultis, & gratijs fratribus aliarū Militiarum prædictarum in præfatis Ordinibus constitutis similiter concessis vti, & gaudere valeant. Quare pro parte dicti Georgij Ducis, & Administratoris nobis fuit humiliter supplicatū vt in præmissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui singulis sub religionis iugo, & in spiritu humilitatis Domino famulantibus dictæ Sedis gratiam, & fauorem libenter impartimur, dictum Georgiū Ducem, & Administratorem, & singulares personas dictæ Militiæ S. Iacobi in subdiaconatus, diaconatus, & præbyteratus ordinibus constitutas a quibuscumq; excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque ecclesiasticis sententijs, censuris, & pænis, a iure, vel ab homine, quauis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existant, ad effectū præsentium duntaxat consequendum, harum serie, absoluentes, & absolutos fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati Maiori, & alijs Prioribus, & fratribus dictæ Militiæ S. Iacobi in subdiaconatus, diaconatus, & præbyteratus ordinibus prædictis constitutis presentibus, & futuris, qui de cætero, perpetuis futuris temporibus, omnibus, & singulis privilegijs, indultis, & gratijs, quibus alij fratres aliarū, & de Auis, & I E S V Christi Militiarū prædictarum in dictis ordinibus constituti vtantur, potiūtur, & gaudent, seu vti, potiri, & gaudere poterunt quomodolibet in futurum ad eorum instar vti, & potiri, & gaudere possint, & valeant in omnibus, & per omnia, perinde ac si illa eisdem Maiori, & alijs Prioribus, & fratribus dictæ Militiæ S. Iacobi in dictis ordinibus constitutis in specie concessa fuissent, auctoritate Apostolica, tenore præsentium, de specialis dono gratiæ, concedimus, & indulgemus. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dictarum Militiarū iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia roboratis statutis, stabilimentis, vsibus, & naturis, ac illis sub quibuscumque tenoribus concessis privilegijs, indultis gratijs, & literis Apostolicis, quibus omnibus, etiā si de illis, eorūq; totis tenoribus de verbo ad verbum, pro illorum sufficienti derogatione, specia-

lis, & expressa, non autem per clausulas generales mentio, seu quævis alia expressio habenda esset, illorum omnium tenores, ac si præsentibus de verbo ad verbum, infererentur, pro expressis habentes, quo ad præmissa dūtaxat, harum serie, specialiter, & expresse derogamus cæterisque contrarijs quibuscumque. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginā nostræ absolutionis, concessionis, indulti, & derogationis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Apostolorum Petri, & Pauli se noverit incursum. Datū Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo quingentesimo vndecimo: Octavo Kalendas Septembris, Pōtificatus nostri Anno octavo.

FALA EM A COMMVNICAC, AM DOS PRIVILEGIOS das Ordens de Calatrava, & maximê do Breue de Pio Quinto, que alcançou o Senhor Rey Dom Sebastião por Bulla de Gregorio XIII. & a todas tres o extende.

CHARISSIMO IN CHRISTO FILIO Nostro Philippo Portugallia & Algarbiorum Regi Catholico.

Clemens Papa VIII.

185 **C**HARISSIME in Christo fili noster, salutem, & apostolicam benedictionem. Maiestatis tuæ nomine nobis nuper expositum fuit, quòd aliàs claræ memoriæ Sebastianus Portugallia, & Algarbiorum Rex à felicis recordationis Gregorio Papa XIII. prædecessore nostro speciale indultum obtinuit, per quod ipse Gregorius prædecessor dicto Sebastiano Regi Militiarum Iesu Christi, Sancti Iacobi de Spata, & de Avis Cisterciensis, & Sancti Augustini respectuè Ordinum Regnorum Portugallia, & Algarbiorum tunc perpetuo Administratori, dictisque Militijs, inter alia, concessit, ut à Generalis illarum Conservatoris sententijs non posset appellari ad Legatos, & Nuncios Apostolicæ Sedis, sed ad ipsum immediate Romanum Pontificem, & Apostolicam Sedem, prout pridem recolendæ memoriæ Pius Papa V. prædecessor noster inclytæ memoriæ Philippo II. Hispaniarum Regi Catholico, ac Militijs regularibus Regnorum Castellæ concesserat, seu indultum huiusmodi

modi à Pio Quinto Prædecessore dictis Philippo Regi, & Militijs Regni Castellæ concessum ad Sebastianum Regem, & Militias Portugalliæ per communicationem extendi, prout in literis dicti Gregorij Prædecessoris desuper expeditis plenius continetur. Licet autem huiusmodi indultum, occasione bellorum, pestis, & aliarum perturbationum dictorum Regnorum Portugalliæ, & Algarbiorum, quæ diu viguerunt, ab initio vsu recipi non potuerit; postea tamen, illis sedatis, cum ad notitiam Ministrorum dictarum Militiarum deuenisset, ac Prælati eorundem Regnorum solemniter intimatum fuisset, & Conseruatores earundem Militiarum pro tempore existentes super violentijs personis, & rebus earundem Militiarum factis varias sententias protulissent, ab ijsque partes aduersæ appellassent, Procurator Generalis earundem Militiarum pro parte Maiestatis tuæ, qui dictarum Militiarum perpetuus Administrator, apostolica authoritate deputatus existis, à prædictis Conseruatoribus instantissime petijt, vt prædictum indultum Apostolicum, iuxta illius tenorem obseruarent, nec de cætero appellationes prædictas, nisi immediate ad Romanum Pontificem, & Apostolicam Sedem, admitterent, sed quia dilectus filius Spoliorum, ac Iurium Cameræ nostræ Apostolicæ in eisdem Regnis Collector Generalis vigore facultatum sibi per nos concessarum nonnullas causas appellationum huiusmodi, prædicto indulto non obstante, Auditori suo commisit; propterea inter ipsos Cōseruatores ex vna, & Auditorem dicti Collectoris ex altera partibus graues discordiæ, dissensionisque exortæ, & plures inhibitiones hinc inde emanatæ, & censurae ecclesiasticæ vicissim promulgatæ magno cum Christi fidelium illarum partium scandalo extiterunt; Nos verò per nostras in forma Breuis literas eidem Collectori specialem facultatem concessimus, vt causas appellationum à sententijs, decretis, & mandatis quibuscumque Cōseruatoris, seu Conseruatorum Militiarum prædictarum ad Nos, & Apostolicam Sedem tam eatenus interpositarum, quam deinceps interponendarum, audire, cognoscere, & prout iuris foret, terminare valeret prout in eisdem nostris literis etiam plenius continetur. Cū autem, sicut eadem expositio subiungebat, Maiestas tua cupiat huiusmodi indultum à Gregorio Prædecessore concessum, seu communicatum Militijs Regnorum Portugalliæ pro earundem Militiarum conseruatione, & totius Regni quiete, ex nostra permissione, & approbatione, deinceps perpetuò obseruari, cum præsertim experientia doceat ex simili indulto, quod in Regnis Castellæ in viridi obseruatione existit, Militias dictorum Regnorum magna cum pace,

& concordia gubernari, neq; aliquas dictorum Regnorum personas super hoc vnquam conqueri, contra vero dictis Militijs Portugalliae multa damna, & incommoda in rebus, & Iurisdictionibus earum inferri ob eiusdem indulti inobservantiam: propterea nobis eiusdem Maiestatis tuae nomine fuit humiliter supplicatum, vt in praemissis opportune providere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui honestis Maiestatis tuae votis ob eius eximia in nos, & Apostolicam Sedem merita, quantum cum Domino possumus, libenter annuimus, literarum Gregorij Praedecessoris, ac nostrarum suprascriptarum tenores praesentibus pro expressis habentes, Motu proprio, ac ex certa nostra Scientia, & matura deliberatione praehabita, & tota etiam re cum dilectis filijs nostris Camillo Sancti Grisogoni Burghesio, ac Pompeo Sancti Balbinae Antigonis ritolorum S. R. E. Cardinalibus diligenter communicata, & ex illorum voto, & sententia, Indultum praedictum a Gregorio Praedecessore concessum, quoad infrascripta, confirmantes, & innovantes, Maiestati tuae, ac praedictis Militijs Regnorum Portugalliae, & Algarbiorum, auctoritate Apostolica, tenore praesentium, perpetuo concedimus, & indulgemus, vt causae appellationum, quae a sententijs Conservatoris, seu Conservatorum dictarum Militiarum ad Nos, & Apostolicam Sedem interponuntur, et nimirum, in quibus agitur de perpetuo praesudicio, & quae non sint modici momenti, in Romana Curia cum effectu cognosci, & terminari debeant, itavt in illis tam Collector Generalis, quam Nuntius, & etiam de latere Legatus Sedis Apostolicae in eisdem Regnis pro tempore, vigore facultatum sibi concedendarum, nullatenus sese intromittere possint, nullam in illis audientiam, & cognoscendis auctoritatem, vel facultatem habeant: hac tamen adiecta lege, quod, pendente appellatione, ipse Collector, seu Nuntius, aut Legatus dicto Conservatori, a quo appellatum fuerit, sub censuris, & penis, inhibere valeat, ne, pendente appellatione, seu termino dato a iure ad appellandum, vel ad appellationem proseguendam, aliquid attentet. Quodque si Conservator ipse aliquid attentaverit, tunc Collector, seu Nuntius, aut Legatus praedictus, ne aliquid innovetur, providere, ac omnia, & quaecumque attentata revocare, omniaque in pristinum, ac in eisdem, in quibus antea erat, statum, & terminum restituere libere valeat. Et ulterius, ne indifferenter quaecumque causae, etiam modici momenti cum magno partium dispendio in Romana Curia sint proseguenda, vt ipse Collector, vel Nuntius, seu Legatus ceteras causas appellationum a sententijs dicti Conservatoris, in quibus non agitur de perpetuo praesudicio, & eas etiam, quae modici fuerint momenti,

infra

p̄ulos locorum Ordinarijs eiusdem Regni Portugalliae, certis prae-
 tensionibus dubitari contingit, an literae per Piae memoriae Pium
 Papam Quintum etiam praedecessorem nostrum, sub data, videlicet
 quinto idus Ianuarij, Pontificatus sui Anno primo, procurante cha-
 rissimo in Christo filio Rege Philippo Catholico, qui Militiarum in
 Castellae, & Legionis Regnis institutarum huiusmodi perpetuus
 Administrator per eandem Sedem deputatus existit, concessae pri-
 vilegiorum, indultorum conservatoriarum, & aliarum gratiarum ip-
 sis Militijs Regnorum Castellae, & Legionis concessorum praedi-
 corum preservatione, & innovatione, ac Militijs Regni Portugalliae,
 & Sebastiano Regi, ac pro tempore existentibus Magnis Magistris,
 Conuentibus, Prioribus, Commendatoribus, Praeceptoribus, Fratri-
 bus, Militibus, personis, Ecclesijs, domibus, & iurisdictionibus Mili-
 tiarum Regni Portugalliae huiusmodi suffragari, & illis gaudere pos-
 sint, vel debeant, & exinde effectus literarum Pij praedecessoris hu-
 iusmodi, quoad Regni Portugalliae Militias, illarumque singulas per-
 sonas praefatas, frequenter impeditur, & retardatur, Militiaeque Reg-
 ni Portugalliae, & illarum personae huiusmodi sepe numero graua-
 mina, iniurias, & incommoda sustinent in earum detrimentum, ac
 privilegiorum, indultorum, & facultatum sibi concessarum praedi-
 corum laesionem; Cū autem, sicut eadem petitio subiungebat, Ma-
 gistri, Conventus, Priores, Commendatores, Praeceptores, Fratres, Mi-
 lites, & aliae personae eiusdem Sancti Iacobi de Spata, siue in Legionis,
 Castellae, & Aragonum, siue in Portugalliae, & Algarbiorum Reg-
 nis constituti, siue eiusdem professionis existant, & sub eisdem regu-
 laribus institutis militent, nec alia inter eos differentia, quam quod
 in diversis Regnis consistunt, fore dignoscatur, ac praemissa in fa-
 vorem ipsius Militiae de Spata, & de Avis in genere concessa appa-
 reant, & neutiquam conveniens videatur, ut Militiae praedictae, etiam
 si in diversis Regnis institutae, diverso iure fulciri, aut inniti debe-
 ant, praesertim quod illae semper in omnibus, & per omnia per alios
 Romanos Pontifices praefatos equiparatae fuerint, ac propterea
 idem Sebastianus Rex nominibus praedictis nobis humiliter sup-
 plicari fecit, quatenus ambiguitatis praedictae scrupulos, ante
 quam alius irrepant, ac iurgiorum, & litigiorum materiam parturiat,
 declarationis nostrae ministerio submovere, & alias in praemissis op-
 portune providere, de benignitate Apostolica, dignaremur. Nos igitur,
 qui praeter commune debitum, quo, ex Apostolatus officio, ceteris
 fidelibus debitores existimus, Militias Regni Portugalliae, illarumque
 personas huiusmodi eo specialius paterna dilectione complectimur,

quó pro tuitione prædictæ fidei, eiusque propagatione, atq; præsidio contra immanissimos Christi nominis hostes, Mauros, scilicet, & alias barbaras Nationes, cum proprij effusione cruoris, & vitæ periculo continuè decertare facti euidencia cognoscimus, eüdem Sebastianum Regem á quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, alijsq; ecclesiasticis sententijs, censuris, & pænis a jure vel ab homine, quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet inodatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie, absolucendum, & absolutum fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati eorundem Nicolai, Iulij, & Pauli prædecessorum præfatorum vestigijs in hærentes, omnemque dubitationem in præmissis remouere volentes, nec non omnium, & singulorum priuilegiorum, concessionum, indultorum, conseruatoriarum, & aliarum gratiarum per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, & Sedem præfatam eisdem Militijs tam in Legionis, & Castellæ, quam in Portugalliæ Regnis præfatis institutis, illarumque Magnis Magistris, seu Administratoribus, Conuentibus, Prioribus, Comendatoribus, Præceptoribus, Fratibus, Militibus, & personis prædictis, ac desuper confectarum, & dictarum Pij prædecessoris literarum tenores præsentibus pro expressis habentes, supplicationibus inclinati, omnia, & singula priuilegia, prærogatiuas, immunitates, exemptiones, libertates, facultates, indulgentias, conseruatorias, indulta, & alias gratias Militijs Castellæ, & Legionis Regnorum huiusmodi, ac prædicto Philippo Regi, & pro tempore existentibus Administratoribus, Conuentibus, Prioribus, Comendatoribus, Præceptoribus, Fratibus, Militibus, & alijs personis, Ecclesijs, domibus, locis, bonis, possessionibus, iuribus, iurisdictionibus Militiarum in Castellæ, & Legionis Regnis institutarum huiusmodi per quoscumque Romanos Pontifices prædecessores nostros, ac Nos, & Sedem eandem hæctenus quomodolibet tam in genere, quam in specie, concessa, & in posterum concedenda, eisdem modo, & forma, quibus concessa sunt, & in posterum concederentur, ad Militias Regni portugalliæ, ac Sebastianum Regem, & pro tempore existentes Magnos Magistros, seu Administratores, Conuentus, Priores, Commendatores, Præceptores, Fratres, Milites, personas Ecclesias, Domos, loca, bona, possessiones, iura, iurisdictiones Militiarum in Regno Portugalliæ institutarum huiusmodi extendi, & illa eis in omnibus, & per omnia, ac pariter pari formiter, et æq; principaliter absque vlla prorsus differentia, ac si Militijs Regni Portugalliæ, & Sebastiano Regi ac pro tempore existentibus Magnis Ma-

infra valorem nimirum triginta ducatorum auri de Camera inclu-
 siue, licet in his de perpetuo præiudicio agatur, cognoscere, & termi-
 nare possit, super quibus omnibus, & singulis plenam, liberam, & am-
 plam illi facultatem, & auctoritatem impartimur. Decernentes su-
 pra dictum indultum Gregorij Prædecessoris ad presentium præ-
 scriptum moderatum, & declaratum esse, & ceteri, ac ita, & non ali-
 ter, in præmissis causis appellationum, ab omnibus, ad quos specta-
 bit, observari debere, præsentibusque literas de subreptionis, vel ob-
 reptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostre, vel alio quo-
 cumque defectu notari, impugnari, redargui, aut vlllo vnquam tem-
 pore infringi, retractari, reuocari, suspendi, limitari, aut in ius, vel
 controuersiam vocari posse, sed semper, ac perpetuó validas, & effica-
 ces existere, & fore, suolque plenarios, & integros effectus sortiri, &
 obtinere, ac ita per quoscumque iudices ordinarios, & delegatos, etiá
 causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata eis, & eorum cui-
 bet, quavis aliter iudicandi, & interpretandi facultate, & auctori-
 tate, iudicari, & definiti debere, ac irritum, & inane quidquid secus su-
 per his, á quoquam, quavis auctoritate, scienter, vel ignoranter con-
 tingerit attentari. Non obstantibus constitutionibus, & ordinationi-
 bus Apostolicis, ac prædictis literis nostris, nec non omnibus illis,
 quæ prædictus Gregorius Prædecessor in eius literis nostris, nec non
 omnibus illis, quæ prædictus Gregorius Prædecessor in eius literis
 prædictis voluit non obstare, cæterisque contrarijs quibuscumque.
 Cæterum per easdem præsentibus non intendimus nostras, ac Succes-
 sorum nostrorum Romanorum Pontificum manus ligare, quomi-
 nus aliquas ex eisdem causis appellationum, quandocumque nobis
 vel ipsis expedire visum fuerit, Collectori, aut Nuntio, vel Legato Se-
 dis Apostolicæ, aut alij cuiuscumque Iudici in partibus audiendas, cog-
 noscendas, & sine debito terminandas per speciale rescriptum com-
 mittere valeamus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annu-
 lo Piscatoris, die quarta Februarij MDCV. Pontificatus nostri anno
 tertio decimo. Marcellus Vestrius Barbianus.

BVLLA DE GREGORIO DECIMO TERCIO

*sobre a communicacão dos privilegios das Ordens Militares
 de Castella ás de Portugal.*

186 **G**REGORIVS Papa decimus tertius ad perpetuam rei me-
 moriam. Ex Apostolicæ Sedis, in qua, meritis licet insuffici-
 entibus, diuina disponente clementia, constituti sumus, benigni-
 tate

nitate procedit, ut super eis, quæ personis sub regulari habitu contra
 Christi nominis Æmulos pro orthodoxæ fidei ampliatione, & con-
 servatione continuè militantibus, per eiusdem Sedis clementiam cir-
 cumspectam pro tempore concessa reperiantur, an ad alias eiusdem
 professionis extendantur personas, ambiguitatis scrupulos pro tem-
 pore exorientes declarationis nostræ ministerio dilucidemus, ac in
 his officij nostri partes favorabiliter impartiamur. Sane charissimus
 in Christo filius noster Sebastianus Portugallia, & Algarbiorum
 Rex illustris, qui Militiarum Sancti Iacobi de Spata Sancti Augusti-
 ni, & de Auis Cisterciensis Ordinum Regni Portugallie Magnus
 Magister, seu perpetuus Administrator per Sedem Apostolicam de-
 putatus existit, tam suo, quàm dilectorum filiorum Magistrorum,
 Conuentus, Priorum, Cōmendatorum, Præceptorum, Fratrum, Mi-
 litum, & aliorum Religiosorum, ac personarum Militiarum nomi-
 nibus nuper exponi fecit, quod licet ex diuersis Romanorum Ponti-
 ficum, & præsertim fælicis recordationis Nicolai Quinti, & Iulij
 Secundi, ac Pauli Tertij prædecessorum nostrorum privilegijs, &
 concessionibus præfate Militiæ in eodem Regno aduersus Mauros
 aliosque fidei Catholicæ hostes antiquitus per ledem præfatam salu-
 briter institutæ, illarumque tunc, & pro tempore existentes Magis-
 tri, seu Administratores, Conuentus, Priores, Commendatores, Præ-
 ceptores, Fratres, & Milites, eorumque singuli, nec non personæ, &
 loca, domus, ac Ecclesiæ Militiarum earundem, perpetuis futuris
 temporibus, omnibus, & singulis privilegijs, prærogatiuis, conces-
 sionibus, indultis, libertatibus, conseruatorijs, indulgentijs, exem-
 ptionibus, honoribus, literis Apostolicis, & alijs gratijs Magistris, seu
 Administratoribus, Conuentibus, Prioribus, Comendatarijs, Præ-
 ceptoribus, Fratibus, & Militibus eiusdem Sancti Iacobi, & de
 Calatrava, ac de Alcantara Militiarum in Castellæ, & Legio-
 nis Regnis institutarum in genere quouis modo ab ipsis Romanis
 Pontificibus, & Sede præfata concessis, & in posterum concedendis
 ac quibus illi utebantur, potiebantur, & gaudebant, ac uti, potiri, &
 gaudere possint, quomodolibet in futurum, uti, potiri, & gaudere, ac
 si eis in genere concessa fuissent, & loco Iudicum in literis Aposto-
 licis Regnorum Castellæ, & Legionis Militijs huiusmodi pro tem-
 pore concessis deputatorum, alios Iudices, in dignitate tamen eccle-
 siastica similiter constitutos, in dicto Regno Portugallia, qui ean-
 dem potestatem haberent, quam Iudices in eisdem literis deputati
 habebant, seu habere possent, quomodolibet in futurum, deputare li-
 bere, & licitè possint, & valeant, nihil ominus à nimium forsan scrupulosis

gistris, seu Administratoribus, Conuentibus, Prioribus, Cōmenda-
toribus, Præceptoribus, Fratribus, Militibus, personis, Ecclesijs, domi-
bus, locis, bonis, possessionibus, Iuribus, Iurisdictionibus Militiarum
Regni Portugallie huiusmodi specificè, & expressè concessa fuisset
& concederentur, perpetuo suffragari, ac illis uti, potiri, nec non lo-
co Iudicum in privilegijs ac alijs literis Apostolicis Regnorū Cas-
tellæ, & Legionis Militijs huiusmodi pro tempore concessis depu-
tatorum dilectos filios Cappellanum maiorem prædicti Regis, & suc-
cessorum Regum Portugallie, Archidiaconos de Oliuença, Bracha-
rensis, & Elborensis ecclesiarum nunc, & pro tempore existentes,
in dicto Regno Portugallie, qui eandem potestatem habeant,
quam iudices in eisdem literis, & privilegijs deputati habent, seu ha-
bere poterunt quomodolibet in futurum, deputatos esse, nec desu-
per per præfatos Ordinarios, seu alios cuiuscūque status, gradus, con-
ditionis, Ordinis, præminentie, & qualitatis existentes, etiam Car-
dinalatus honore fungentes, molestari, perturbari, vel inquietari pos-
se, ipsasque Militias Regni Portugallie, illarumque singulares per-
sonas in eodemmet statu, in quo Militie Regnorum Castellæ, &
Legionis, illarumque personæ huiusmodi quomodolibet existunt, &
pro tempore reperiuntur, etiam perpetuo Conservatori debere, & ita
intentionis prædecessorum prædictorum fuisse, & etiam nostræ esse,
& perpetuo fore, Apostolica autoritate, tenore presentium, decerni-
mus, & declaramus, & nihilominus pro potiori cautela, eadē omnia,
& singula privilegia, prærogatiuas, exēptiones, facultates, indulgēcias,
conservatorias, indulta, & alias gratias, eisdem modo, & forma, qui-
bus Militijs Castellæ, & Legionis Regnorum, earumque superiori-
bus, & personis huiusmodi, ut præfertur, concessa sunt, & in poste-
rum concedentur, ad Militias Regni Portugallie, illarumque supe-
riorem, & personas huiusmodi similiter perpetuo extendimus, illa-
que ex autoritate, & tenore prædictis, modo tamen, & forma in li-
teris Pij prædecessoris huiusmodi contentis, concedimus, & indul-
gemus decernentes, præfentes literas nullo vnquam tempore de sub-
reptionis, vel obreptionis vitio, aut intentionis nostræ, vel quopiam
alio defectu, notari, vel impugnari posse, nec illas sub quibusvis simi-
lium, vel dissimilium gratiarum reuocationibus, suspensionibus, mo-
dificationibus, limitationibus, derogationibus, aut alijs contrarijs dis-
positionibus comprehendi, sicque per quoscumque iudices, & com-
missarios quavis autoritate fungentes, etiam Sancte Romanæ Ec-
clesiæ Cardinales, ac causarum Palatii Apostolici Auditores, sublata
eis, & eorum cuilibet, quavis aliter iudicandi, & interpretandi facul-

rate, & authoritate, iudicari, & diffiniri debere, ac ex nunc irritum, & inane, si secus super his, à quoquam, quavis authoritate, scienter, vel ignoranter contigerit, attentari. Quocirca venerabili Fratri Episcopo Amerinensi, & dilectis filijs Capellano maiori prædicti Sebastiani Regis moderno, & pro tempore existenti, & Archidiacono Elborensi per apostolica scripta mandamus quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel alium, seu alios presentes literas, & in eis contenta quæcumque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte præfati Regis moderni, & pro tempore existentis Magni Magistri, seu Administratoris, Conuentuum, Priorum, Fratrum, Militum, personarum, Ecclesiarum, domorum, locorum, bonorum Militiæ Regni Portugalliæ huiusmodi, seu alicuius eorum desuper requisiti fuerint, solemniter publicantes, eisque in præmissis efficacis defensionis præsidio assistentes, faciant auctoritate nostra literas huiusmodi, & in eis contenta quæcumque, firmiter obseruari, ac singulos, quos eadem litera concernunt, illis pacifice gaudere: non permitentes eos desuper per quoscunque quomodolibet indebite molestari: Contradiectores per censuram ecclesiasticam, appellatione postposita, compescendo: Non obstantibus constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac Militiarum prædictarum iuramento, confirmatione apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis & consuetudinibus, stabilimentis, vsibus, & naturis, nec non quibusuis declarationibus, inhibitionibus, & decretis, privilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis, sub quibuscunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis, etiam derogatorijs derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausulis, nec non irritantibus, & alijs decretis, in genere, vel in specie, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam consistorialiter ac alias quomodolibet concessis, approbatis, & innouatis: quibus omnibus, etiam si de illis, eorumque totis tenoribus, specialis, specifica, & expressa, indiuidua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quæuis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc seruanda esset, tenores huiusmodi, ac si de verbo ad verbum, nihil penitus omisso, & forma in illis tradita obseruata, inserti forent in presentibus, pro sufficienter expressis, ac insertis habentes, illis alias in suo robore permanens, hac vice dumtaxat, specialiter, & expressè derogamus, cæterisque contrarijs quibuscunque. Volumus autem, quod privilegiorum, indultorum, & aliarum gratiarum præfatarum, & etiam presentium literarum transumptis manu alicuius Notarij publici subscriptis, &

sigillo

sigillo alicuius personæ in dignitate ecclesiastica constitutę munitis plena, & integra, ac eadem fides prorsus adhibeatur in iudicio, & extra, quæ ipsi originalibus adhiberetur, si originaliter forent exhibitæ, vel ostensæ. Datum Romæ apud S. Petrũ, sub Annulo Piscatoris, die octava Iunii MDLXXV. Pontificatus nostri anno quarto.

187 **A P R O V A, E CONFIRMA O P A P A P I O**

Quarto o costume, de que os Mestres, ou Administradores das tres Ordens Militares, usauão na administração da Iustiza entre os Frades, Clerigos, & Cavalleiros dellas, ou contra elles, & dous Statutos feitos despois acerca deste costume
 s. hũ por El Rey Dom Ioão o III. outro por El Rey Dom Sebastião

Costume, que aprouou o Papa.

188 **C**ostumaraõ os Mestres, ou Administradores de todos estes tres Mestrados deputar cada hũ e sua casa, ou corte, & assim em alguns certos lugares, pessoas doctas em direitos, ou outras idoneas, os quais como luizes ordinarios, ou Vigarios deputados para Vniuersidade de causas pelos mesmos Mestres por autoridade Apololica, segundo estatutos das ditas Ordens, ou uiaõ, & conheciãõ de todas as causas, & cõtedas, assim ciueis, como crimes, q se mouiaõ, & ocorriaõ entre os ditos Freyres, Clerigos, ou Caualeyros, ou contra elles, & por vigor dos priuilegios concedidos às mesmas Ordens, & Milicias, ou aos Mestres dellas, ou aos deputados por elles, as determinauão por final sentença sem receber appellação.

Estatuto de El Rey Dom Ioão o III.

189 **D**esciando El Rey Dom Ioão o III. perpetuo Administrador das ditas Ordens que as ditas causas, & questoes com mais maduro iuizo, & deliberação se determinassem, & tratassẽ, & ferençiassem, & assim os mais negocios das mesmas Ordens, & Milicias mais prudentemente se fizessem, estabeleceo, & ordenou que assim as causas, & contendas sobreditas, como de todos, & cada hum dos negocios das ditas Milicias se tratassem, & discutissem em hum tribunal, que se chama Meza da Consciencia, o qual o mesmo Rey pouco antes ordenara, & instituiria, & para elle buscara, & deputara pessoas mui doctas, assim nas sagradas letras, como em

hum, & outro direito, aos quais os Juizes sobre ditos das ditas Milicias referissem o estado, & merecimentos das causas, & negocios das ditas Ordens, & auido sobre elles o parecer, & Juizo dos Deputados, as lētēciassē, & determinassē finalmēte sē receberē nenhũa appellação. E mādou q̄ o dito Tribunal, não somēte se chamasse Mesa da Cōsciência como dātes, mas tãbē se chamasse das Ordens das ditas Milicias.

Estatuto segundo de El Rey Dom Sebastião.

190 **P**osto, q̄ por este estatuto acreceo muito proueito às pessoas das ditas Ordēs, como a experiēcia mostrou, auēdo respeito El Rey Dō Sebastião nosso Senhor, q̄ este iuizo era da primeira instācia, & q̄ muitas vezes acōtece, q̄ as partes, q̄ diāte iuiz litigaō, não podē allegar, & trazer todo seu direito, & suas prouas, & outros documētos, q̄ a sua iustiça pertēcē, & pello remedio da appellação ser tirado por os ditos costumes, & primeiro statuto muitas vezes acōtecia q̄ estas partes cōtēdētes iniustamēte eraō agruados; por tãto ordenou, & estabeleceo, que as ditas causas, lides, & cōtēdas quaisquer, q̄ fossē, assim ciueis, como criminaes, ou mittas se tratassē diāte dos Juizes, ou Vigarios das ditas Milicias deputados pelo dito Senhor, & elles as determinassē finalmēte na primeira instācia, & se algũa parte recebesse agrauo por interlocutoria, q̄ tiuesse força de definitiva, ou q̄ não se podesse reparar, & correger pela definitiva, no mesmo iuizo, q̄ a parte, ou partes assim agruadas podessē appellar para a sobre dita Mesa da Cōsciência, & auer a ella recurso, & os Deputados della, corregido, ou repellido o agrauo, remetessē a mesma causa aos mesmos juizes ate q̄ elles finalmēte por lētēça a determinassē & se as partes quizesse appellar de sua lētēça, ou dizer da nullidade della, q̄ o dito Rey como Gram Mestre, & Administrador das ditas Ordens cometesse o conhecimēto da causa da appellação, & final determinação della aos sobre ditos Deputados da Mesa da Cōsciência para q̄ elles a determinē segūdo a rezão do direito lhes ditar, & se desta derradeira lētēça, algũa das partes se lētir agruada, suplique ao dito Senhor Rey, & sua Real Magestade por sy mesmo jūtamēte cō pessoas, que para isso deputar, conheção não somēte da causa do agrauo, que se allegar, mas de todo principal negocio, & de todo o mais, que sobre a causa se trouxer, & allegar perante sua Magestade, & tudo visto, & examinado, sentencee finalmēte, sē receber ne nenhũa appellação, & mande fazer deuida execução por sua sentença.

Os quais costumes, & estatutos o Papa confirma, & aprova em todo, como dito he, de sua propria sciencia, & para mais robur, & firmeza de nouo o estatue, & ordena, & quer, & ha por bem, que nenhũas letras, com missõens, nem delegaçõens feitas assim pello Papa, & See Apostolica como seus Legados, & Nuncios por qualquer via, que emanem, & se impetrem contra os ditos costumes, & estatutos, posto que com clausula de motu proprio, & certa sciencia valhaõ, & as anulla, & ha por nenhũas, & de nenhum effeito, com outras clausulas exuberantes, que pelo texto do breue seguinte se pode ver.

191 **P**IUS Papa Quartus ad perpetuam rei memoriam. Ad hoc nos Deus pretulit in familiam domus suæ, vt circa statum personarum quarumlibet vigilanter intenderemus, ideo nos Summi Sacerdotis curam, meritis licet imparibus, gerentes in terris, quæ pro personarum earundem præsertim sub regulari iugo de gentium cõmodo, & quiete per catholicos Principes facta fuisse dicuntur, libenter cum à nobis petitur, nostræ approbationis munimine solidamus, statuimusque, & ordinamus, prout in Domino conspiciamus salubriter expedite. Exponi nobis siquidem nuper fecit charissimus in Christo filius noster Sebastianus Portugallix, & Algarbiorum Rex illustris quod aliàs antequam felicitis recordationis Iulius Papa Tertius prædecessor noster claræ memoriæ Ioannem eius nominis etiã Tertium, & pro tempore existentem Portugallix, & Algarbiorum Regem, qui, & Iesu Christi sub regula Cisterciensi Militiæ Magnus Magister, seu Administrator perpetuus existeret, & Sancti Iacobi sub regula Sancti Augustini, & de Auis sub regula Sancti Benedicti Militiarum in eisdem Regnis ritè institutarum perpetuum Administratorem constitueret, & deputaret ipsarum Sancti Iacobi, & de Auis Militiarum, Magni Magistri pro tempore existentes tam in eorum domibus, & Curijs, quam in certis alijs locis earundem Militiarum consueuerant viros iuris peritos, aut alias idoneos deputare qui tam civiles, quam criminales, vel alias causas, lites, quæstiones, & controversias inter fratres Clericos, vel milites Militiarum præfatarum, vel contra illos occurrentes, tanquam iudices ordinarij, seu Vicarij per eosdem Magnos Magistros, apostolica authoritate, iuxta ipsarum Militiarum statuta ad vniuersitatem causarum deputati audiebant, cognoscebant, atq; in vim priuilegiorum eisdem Militijs, seu illarum Magistris, vel ab eis deputatis cõcessorũ, appellatione remota: finali sententia terminabant, prout tam ipse Ioannes Rex, quam

eius Prædecessores Militiæ Iesu Christi perpetui Administratores,
 & alij Magni Magistri in eadem Militia Iesu Christi inter illius fra-
 tres, Milites, & Clericos obseruare consueuerat, ac postmodum ip-
 semet Ioannes Rex desiderans causas, lites, & controuersias huius-
 modi maturo iudicio, atque deliberatione pertractari, atq; decidi,
 ipsarumque Militiarum negotia prudenter agi, tam causas, lites, &
 controuersias prædictas, quàm omnia, & singula ipsarum Militiarum
 negotia in quodam Tribunali Mensa Conscientiæ nuncupato
 quod ipse Ioannes Rex dudum antea instituerat, & ad quod quam-
 plures viros tam Sacrarum literarum, quam iuris vtriusque peritissi-
 mos ascinerat, & deputauerat, discuti, & tractari, ac terminari debe-
 re: ita quod iudices ipsarum Militiarum earundem causarum, ac ne-
 gotiorum statum, & merita eiusdem Mensæ Deputatis referre debe-
 rent, & habito super eis Deputatorum ipsius Mensæ iudicio, illas de-
 ciderent, & appellatione quacumque remota, sine debito termina-
 rent, ipsumque Tribunal non solum Conscientiæ prout antea, sed
 etiam Militiarum de cætero vocari debere, statuit, & ordinauit, &
 quanuis ex statuto, & ordinatione huiusmodi non modicum utili-
 tatis ipsarum Militiarum personis, prout experientia compertum
 est, accreuerit, nihilominus præfatus Sebastianus Rex attendens iu-
 dicium huiusmodi primæ esse instantiæ, ac sæpius contingere par-
 tes ad inuicem litigantes iura sua, probationes, & alia documenta in
 ipsa prima instantia deducere non posse, cumque appellationis re-
 medium partibus ipsis, vt præfertur, præclusum foret, multoties eue-
 nire quod partes ipsæ contendentes iniuste grauabantur; proinde
 statuit, & ordinauit quod causæ, lites, & controuersiæ quæcumque,
 tam civiles, quàm criminales, aut mixtæ coram dictis ordinarijs iu-
 dicibus, seu Vicarijs Iesu Christi, Sancti Iacobi, & de Auis Militia-
 rum præfatarum, per ipsum Regem deputandis in prima instantia
 tractari, ac finali sententia decidi, & terminari deberent, ita quod si
 alicui ex partibus aliquod grauamen vim definitiæ habens, seu
 per eandem definitiuam irreparabile in eodem iudicio inferretur,
 pars ipsa læsa ad prædictam Mensam Conscientiæ, & Militiarum ap-
 pellare, & recursum habere posset, & valeret, illiusque Deputati, gra-
 uamine correcto, seu reiecto, causam ipsam ad eosdem iudices remit-
 terent, donec ipsi, vt præfertur, illam finali sententia terminarent. Si
 vero ab eadem sententia partes ipsæ appellare, aut de nullitate
 dicere vellent, causam appellationis huiusmodi per eundem Re-
 gem Magnum Magistrum, seu Administratorem præfatis De-
 putatis Mensæ Conscientiæ, & Militiarum audiendam, cognos-
 cendam

eendam, & decidendam, committi deberet, ipsique causam eandem finali sententia, prout iuris ratio diceret, terminare deberent, quod si ex ultima dicta sententia aliqua partium se gravatam sentiret, tunc Maiestatem suam supplicaret, ipsaque Maiestas Regia per se ipsum, vna cum personis ad id per eum deputandis, causam tam præcensi gravaminis, quam totum principale negotium mature discutere, & cognoscere, atque omnibus deducendis, & allegandis coram se deductis, & allegatis, finaliter decidere, eiusque sententia, quacumque appellatione reiecta, debite executioni demandari deberet, prout in ipsius Regis Magni Magistri patentibus literis, seu alia scriptura, aut ordinatione plenius dicitur contineri, & sicut eadem expositio subiungebat, licet ipse crederet statutum, & ordinationem prædictas valida, & efficacia fore, ne aliquando contingeret de illarum viribus questiones excitari nobis humiliter supplicari fecit, ut statutum, & ordinationem suam huiusmodi confirmare, & approbare, aliasque in præmissis providere, de benignitate Apostolica, dignaremur. Nos igitur, quorum est Catholicorum Regum pia vota, ut desideratum consequantur effectum ad providam exauditionis gratiam libenter admittere, statuti, & ordinationis prædictorum veriores tenores præsentibus pro expressis habentes huiusmodi supplicationibus inclinati, statutum, & ordinationem præfatarum, ac prout illa concernunt, omnia, & singula in eis contenta, & inde secuta quæcumque, licita tamen, & honesta, Autoritate Apostolica, tenore præsentium, ex certa nostra scientia, perpetuo approbamus, & confirmamus, eisque perpetue, & inuiolabilis firmitatis robor adijcimus, illaque valida, & efficacia fore, ac per eos, quos illa concernent, quavis autoritate, dignitate, gradu, statu, & ordine præfulgentes, inuiolabiliter observari debere. Et nihilominus præmissa omnia, & singula, prout per eundem Sebastianum Regem statuta, & ordinata fuerunt, in omnibus, & singulis causis, litibus, & controuersijs, tam civilibus, & criminalibus, quam alijs inter eosdem fratres, Milites, & Clericos dictarum I E S V Christi, Sancti Iacobi, & de Avis Militiarum, seu contra eos motis, & mouendis de nouo statuimus, & ordinamus, ac in omnibus, & per omnia observari volumus, & mandamus, ac insuper quascumque commissiones à nobis, & pro tempore existentibus Romanis Pontificibus, & Sede Apostolica, ac eiusdem Sedis etiam de latere Legatis, seu Nuntijs, etiam motu proprio, & ex certa scientia, contra præmissorum omnium, & singulorum formam, continentiam, & tenorem pro tempore emanatas, & factas, ac illorum vigore inhibitiones, decreta, & for-

san executas nullas, irritas, & inanes, nulliusque roboris, vel momen-
 ti fore, & esse, neminemq, aetate, causasq, lites, quaestiones, & con-
 trouersias inter fratres, Milites, & clericos praefatos nunc indecisas
 pendentes, & pro tempore mouendas, sic vt praefertur, & no alias tra-
 ctari, decidi, terminari, & concludi debere, illasq, ad Nos, & Sedem
 praefatam, aut illius Legatos, vel Nuntios praefatos, & partiū litigan-
 tium instantia, vel consensu, aut alia quacumq, quantumcumq, iu-
 ridica, & rationabili causa auocari non posse, & ita per quoscumq,
 Iudices, quauis autoritate fugentes, & causarū Palatii Apostolici Au-
 ditores, vel Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, & dictae Sedis de-
 latere Legatos, sublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi,
 & interpretandi facultate, & autoritate, iudicari, & definiri debere,
 ac si secus super ijs a quocumq, quauis autoritate, sciēter, vel ignorā-
 ter contigerit attētari, irritū, & inane decernimus. Nō obstantibus cōs-
 titutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac earundē Militiarū, etiā
 iuramento, confirmatione Apostolica, vel quauis firmitate alia ro-
 boratis statutis, & consuetudinibus, stabilimentis, vsibus, & naturis,
 privilegijs quoque, indultis, & literis Apostolicis Militibus, aut per-
 sonis praefatis, sub quibuscūque tenoribus, & formis, quomodolibet
 concessis: quibus omnibus, etiam si de illis, illorūque totis tenoribus
 habenda foret in nostris literis mentio specialis, illis alias in suo ro-
 bore permansuris, hac vice duntaxat, specialiter, & expresse derogamus,
 ceterisque contrarijs quibuscūque. Datum Romae apud Sanctū
 Petrū, sub annulo Piscatoris, die vj. Feb. M. D. LXIII. Pontificatus
 nostri anno quarto.

QUE OS QUE PVZERE M. M. AOS VIOLEN-

tas nos Freyres do Templo encorrem excommunhaõ.

192

HONORIVS Episcopus seruus seruorum Dei. Venerabili-
 bus fratribus Archiepiscopis, & Episcopis, & dilectis filijs
 Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, & alijs Eccle-
 siarum Praelatis, ad quos literae istae peruenerint, salutem, & Aposto-
 licam benedictionem. Paci, & quieti Religiosorum virorum fratrum
 Militiae Templi Apostolica nos conuenit sollicitudine providere, &
 tam ipsos, quam eorū bona tanto sollicitius a malignorum incur-
 bus, & rapinis protegere tenemur, quanto pro fide Christiani nomi-
 nis se diuturnioribus exponunt periculis, & aduersus prauas, & ex-
 teras nationes labores subeunt grauiore. Inde est quod tam fortes
 athletas Christi in suo sancto seruitio, & in suo proposito volentes

attentius

attentiùs confouere, ad defensionem sui, sollicitudinem vestram duximus commonendam, vt magis, ac magis possint ad promouendù propositù, quod sumpserunt, intendere, cum fuerint sollicitudine prælatorù Ecclesiarum à malignantium inquietatione securi. Monemus itaq; Vniuersitatem vestram, atq; præcipimus, quatenus, si quãdo clerici, vel laici parochiani vestri in aliquem prædictorù fratru capiendo, vel de suis equitaturis deijciendo, aut aliàs inhoneste tractando, violentas manus iniiciunt, huiusmodi præsumptores, sublato appellationis obstaculo, publice, candelis accensis, dilatione, & occasione postposita, excommunicatos denunciatis, & tandiu faciatis sicut excommunicatos arctius euitari, donec passo iniuriam congruè satisfaciant, & pro absolutionis beneficio impetrandò Apostolico se conspectui repræsentent. Eos vero, qui in prædictos fratres manus non iniiciunt violentas, sed eos contumeliosis verbis afficiunt, & equitaturas, aut alia eorum bona violenter diripiunt, si à vobis admoniti, ablata eis noluerint restituere, & de illatis iniurijs satisfactionē congruam exhibere, vinculo anathematis adstringatis, quo ipsos vsq; ad dignam satisfactionem teneatis adstrictos. Datum Laterani Quinto Kalendas Februarij, Pontificatus nostri anno primo.

PROCESSO EXECUTORIAL DA BVL

la Conservatoria do Papa Pio Quinto da Ordem de Sanctiago.

193 **I**LLVSTRISSIMIS, AC REVERENDISSIMIS in Christo Patribus, & dominis dominis, Dei, & Apostolicæ Sedis gratia, Archiepiscopis, Episcopis Toletanensi, Cæsar augustanēsi, Valentinenſi Granatensi, Compostellanensi, Conchensi, Carthaginensi, Seguntinensi, Segobiēsi, Palentinensi, Oxomensi, Abulensi, Placētinensi, Salmanticensi, Cauriensi, Ciuitatēsi, Ouetensi, Arienſi, Tudensi, Lucensi, Astoricēsi, Midonensi, Camorensi, Gadicensi, Almatienſi, Marroquitanensi, & alijs quibuscūq; dominis Archiepiscopis, Episcopis, Prælatis in Regnis, ac dominationibus inuictissimi Domini Philippi ab Austria Dei gratia Hispaniarum Regis Catholici, ac aliàs vbilibet consistentibus, eorūque in spiritualibus, & temporalibus Vicarijs, seu Officialibus generalibus, nec non venerabilibus, & circumspectis viris dominis, Decanis, Abbatibus, Capitulis, ac personis dictarum Ecclesiarū, & aliarum quarūcumq; Rectoribusq; Vniuersitatum, & Studiorum in dictis Regnis, & dominationibus, ac aliàs vbilibet existentibus, ac illi, vel illis, ad quem, vel ad quos

presentes nostræ literæ peruenierint, quosque infra scriptum tangit
 negotium, seu tangere poterit, quomodolibet in futurum, quibuscū-
 que nominibus censeantur, aut quacumque præfulgeant dignitate
DON ANTONIUS DE TORRES in sacra Theolo-
 gia Doctor, ac Collegiatae Ecclesie Beatorum Martyrum Sanctorū
 Iusti, & Pastoris oppidi Complutensis Toletanę diocesis maior Ab-
 bas, insignisque Academię, Vniuersitatisque eiusdem Complutensis
 maior Chancellarius, Iudex, & executor ad infra scripta, vna cum
 quibusdam alijs infra scriptis nostris in hac parte collegis, cum
 clausula, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel aliam, seu
 alios á Sede Apostolica specialiter deputatus. Salutem in domino,
 & nostris huiusmodi, imò verius Apostolicis firmiter obedire man-
 datis, literas Sanctissimi in Christo patris, & domini nostri domini
 Pij diuina providentia Papæ Quinti in forma quinterni eius vera
 bulla plumbea cum filis sericis rubei, croceique colorum, more Ro-
 manæ curię, impendentes, bullatas, sanas siquidem, & integras, non
 vitiatas, non cancellatas, neque in aliqua sui parte suspectas, sed om-
 ni prorsus vitio, & suspitione carentes, prout in eis prima facie ap-
 parebat, nobis pro parte gloriosissimi, ac inuictissimi Principis do-
 mini domini Philippi ab Austria Dei gratia Hispaniarum Regis
 Catholici, ac Conuentus Militiæ Sancti Iacobi, sub regula Sancti
 Augustini, Magistri, & perpetui Administratoris, nec non domino-
 rum Conuentus, Priorum, Præceptorum, fratrum, militum, seu Cõ-
 mendatorum, & aliorum Religiosorum, & personarū dictæ Militię
 pro se, & eorum successoribus præsentatas corā Notario publico,
 & testibus infra scriptis, nos cum ea, qua decuit, reuerentia, recepi-
 mus huiusmodi sub tenore. **PIVS** Episcopus seruus seruorum
 Dei. Ad perpetuam rei memoriam, dum attentius inter nostræ men-
 tis arcana recolimus, egregiã operã antiquitus per eos, qui pro tẽpore
 fuerunt, Magistros, & Administratores, ac dilectos filios Conuentū,
 milites, & personas Militiæ S. Iacobi de Spata sub regula S. Augu-
 sti in Mauris, & alijs, qui magnam Hispaniarum partem occupaue-
 rant, infidelibus ab auicis sedibus non solum arcendis, sed etiam post
 quam plures periculosas pugnas tandem cum domini exercituum
 adiutorio profligandis, & á patria expellendis, Deo, & Ecclesie spon-
 se sue, patrięque, varijs temporibus hætenus impensam, & quam
 impigrè quoties sese ad id offert occasio, impendere conantur, dig-
 num, quin potius debitum existimamus, vt exemptiones, & priui-
 legia, quæ illis virtutibus, laborumq; suorum intuitu, per Sedem A-
 postolicam concessa sunt, quo firmitus illibata persistant, authorita-
 tus nos-

tis nostre presidio roboremus. Sanè charissimus in Christo filius nos-
 ter Philippus Hispaniarum Rex Catholicus, qui etiam dictæ Mili-
 tiæ perpetuus Administrator per Sedem Apostolicam Deputatus
 existit, tam suo, quàm dilectorum filiorum Conuentus, Priorum,
 Præceptorum, fratrum, militum, & aliorum religiosorum, ac perso-
 narum dictæ Militiæ nominibus nuper exponi fecit, quod cum Mi-
 litia ipsa in Hispania contra Mauros, aliosque Catholicæ fidei hostes
 antiquitus per Sedem prædictam salubriter instituta, ac diuersis pri-
 uilegijs, & indultis decorata fuerit, ut eo firmiter bella Domini ex-
 ecutum prælietur, eiusque Priores, Præceptores, fratres, mili-
 tes, & aliæ personæ præfatæ regularia Militiæ instituta feruentiori re-
 ligionis zelo amplectentur, obseruent, & exequantur, cuperet sua si-
 bi privilegia, & indulta huiusmodi per Sedem eandem inconcussè
 præseruari. Quare pro parte tam Philippi Regis, & Administratoris,
 quàm Conuentus, Priorum, Præceptorum, fratrum, militum, & alio-
 rum religiosorum præfatorum nobis fuit humiliter supplicatum
 quatenus privilegijs, indultis, exemptionibus, immunitatibus, & alijs
 facultatibus, & gratijs sibi concessis præfatis robur Apostolicæ con-
 firmationis adijcere, ac alias sibi in præmissis opportune prouidere de
 benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur, qui salubrem reli-
 gionum quarumlibet, & maximè Militiarum, ac Catholicorum Re-
 gum preces per Sedem eandem institutarum directionem, ac im-
 munitatem, & priuilegiorum, sibi tanquam de Republica Christia-
 na benemeritis per dictam Sedem concessorum illætionem, & præ-
 seruationem sincero desideramus affectu, Philippum Regem, &
 Administratorem, ac Conuentum, Priores, Præceptores, fratres, mi-
 lites, & alios Religiosos præfatos, & eorum singulos à quibusuis ex-
 communicationis, suspensionis, & interdicti, alijsque Ecclesiasticis
 sententijs, censuris, & pœnis à iure, vel ab homine quauis occasio-
 ne, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati existunt, ad ef-
 fectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie, absol-
 uentes, & absolutos fore censentes, nec non omnium, & singulo-
 rum priuilegiorum, prærogatiuarum, immunitatum, exemptionum
 libertatum, indulgentiarum, conseruatoriarum, facultatum, indulto-
 rum, & aliarum gratiarum, per quoscumque Romanos Pontifices
 prædecessores nostros, ac Sedem eandem Militiæ, eiusque Priori-
 bus, Præceptoribus, diffinitoribus, fratribus, militibus, & alijs per-
 sonis præfatis hactenus concessorum, ac literarum de super confec-
 tarum tenores præsentibus pro expressis habentes huiusmodi sup-
 plicationibus inclinati. Omnia, & singula privilegia, prærogatiuas

immunitates, exemptiones, libertates, indulgentias, conseruatorias, facultates, indulta, & alias gratias Militie prefate, eiusque Magistro, Administratori, Conuentui, Prioribus, Preceptoribus, diffinitoribus, militibus, fratribus, & alijs personis prefatis per quoscumque Romanos Pontifices predecessores nostros, ac nos, & Sedem predictam hactenus quomodolibet concessa, nec non ordinationes, & statuta ab exordio fundate Militie, vsque in presentem diem per eos, dictamque Sedem edita, ac, prout illa concernunt, omnia, & singula in quibusuis literis Apostolicis, documentisque desuper confectis contenta, & inde secuta quaecumque, licita tamen, & honesta, ac sacris canonibus non contraria, Apostolica auctoritate, tenore presentium, confirmamus, & approbamus, ac illis perpetuae, & inuolabilis firmitatis robur adijcimus, omnesque, & singulos iuris, & facti defectus, si qui forsan interuenerint in eisdem, supplemus, ac potiori pro cautela eadem omnia, & singula priuilegia, prerogatiuas, exemptiones, facultates, indulgentias, conseruatorias, indulta, & alias gratias, eisdem modo, & forma, quibus Militie, eiusque superioribus, & personis prefatis per dictos predecessores concessa sunt, illis de nouo, eadem auctoritate, concedimus, & innouamus. Nec non eadem ordinationes, & statuta similiter de nouo perpetuo statuimus, & ordinamus. Et cum alias postquam felicis recordationis Leo Papa Decimus predecessor noster clarae memoriae Ferdinando Aragonum, & vtriusque Siciliae Regi Catholico, qui etiam Magistratus Militie prefate perpetuus, dum viueret, Administrator per dictam Sedem deputatus erat, & tunc existentibus Prioribus, Preceptoribus, & fratribus dictae Militie, ac eorum singulis vniuersos pro tempore existentes Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & personas in dignitate Ecclesiastica constitutas, ac Cathedralium Ecclesiarum Canonicos, ipsorumque Archiepiscoporum, & Episcoporum Officiales, Conseruatores, ac Iudices in perpetuum contra omnes, & singulos Archiepiscopos, & alios Ecclesiarum Praelatos, ac Ecclesiasticos, & Ecclesiasticas personas, nec non Duces, Marchiones, Comites, Barones, nobiles, milites, & laicos, Communia Civitatum, Vniuersitates oppidorum, castrorum, villarum, & aliorum locorum, ac alias singulares personas Civitatum, & diocesum, ac aliarum partium occupantes, & occupari facientes, castra, villas, & alia loca, nec non terras, domos possessiones, iura, iurisdictiones, priuilegia, & indulta, ac fructus, census, redditus dictae Militie, illiusque domorum, & membrorum, & nonnulla alia bona mobilia, & immobilia, spiritualia, & temporalia, ad Ferdinandum

Regem

Regem Administratorem, ac Priores, Præceptores, & fratres, etiam ratione suarum personarum, nec non Militiam, ac domos, & membra huiusmodi legitimè spectantia, & per illorum detentores indebite occupata siue ea detinentibus præstantes, auxilium, consilium, vel fauorem, ac etiam nonnullos partium præfatarum, qui eisdem Ferdinando Regi, & Administratori, ac Prioribus, Præceptoribus, & fratribus, super præfatis castris, villis, locis, terris, domibus, possessionibus, iuribus, iurisdictionibus, privilegijs, & indultis, ac fructibus, censibus, redditibus, & prouentibus eorundem, & alijs bonis mobilibus, & immobilibus, spiritualibus, & temporalibus, ac alijs rebus ad eodē Ferdinandum Regem, & Administratorem, ac Priores, Præceptores, fratres, Militiam, domos, & membra, etiam vt præfertur, spectantibus, ipsorumque Ferdinandi Regis, & Administratoris, Priorum, Præceptorum, & fratrum officialibus, seruitoribus, & vassallis multiplices molestias, iniurias, & iacturas inferentes, etiam extra loca ipsorum Conservatorum existentes, ita quod Ferdinandus Rex, & pro tempore existens, dictæ Militiæ Magister, seu Administrator, Priores, Præceptores, & fratres, nec non officiales, seruitores, & vassalli, seu eorū aliquis, & quarumuis similium, vel dissimilium literarum, & concessionum vigore, coram alijs, quam ipsis Conservatoribus, coram quibus paratos se assererant de se querelantibus in iustitia respondere, vel eorum aliquo, pro quibuscumque causis nequirent conuenientem potestate citandi etiam per edictum, constituto summarie, & extra iudicialiter, de non tuto accessu, ac alijs facultatibus, clausulis, & decretis, etiam formam quinterni Cancellariæ Apostolicæ excedentibus, & per quasdam literas suas constituerat, & deputauerat pro parte inclytæ memoriæ Caroli V. Romanorum Imperatoris, qui etiam Castellæ, Legionis, & Aragonum, ac Siciliæ Rex existerat, suo & tunc Priorum, Præceptorum, militum, & fratrum dictæ Militiæ nominibus pię memoriæ Clementi Papę VII. etiam prædecessori nostro exposito, quod post constitutionem, & deputationem huiusmodi, tam à Leone præfato, quam etiam ab ipso Clemente prædecessoribus diuersæ literæ conservatoriæ dilectis filijs Salmanticensi, & de Alcala de Henares Toletanæ, ac Vallisoleti Palentinensis diocesum studiorum Rectoribus, & Vniuersitatibus, necnon Toletanę Hispalensis, Legionensis, Burgensis, Cordubensis, Giouensis, Gadicensis, Pacensis, & diuersarum aliarum Ecclesiarum Capitulis, aliarumque particularibus personis concessę dicebantur, per quas iurisdictionis, & potestas Conservatorum, & iudicium suprascriptorum, ipsulq; iurisdictionis explicatio impediri poterat. Idem Clemens præde-

cessor supplicationibus ipsius Caroli Imperatoris, & Regis, qui præfato Ferdinando in Magistratu prædicto successerat, inclinatus literas præfatas cum omnibus, & singulis in eis contentis clausulis, ita quod suprædicti Conservatores, & iudices per illas deputati communiter, uel diuisim ad illarum executionem in omnibus, & per omnia iuxta earum continentiam, & tenorem perpetuo procedere, ac Magistrum, seu Administratorem, Priores, Præceptores, & fratres Militiæ huiusmodi, eorumq; officiales, seruitores, & vassallos, tunc, & pro tempore existentes cum ab eis, vel eorum procuratoribus, forent desuper requisiti, contra inferentes iniurias, seu grauamina, vel damna super bonis, iuribus, priuilegijs, & indultis, ac alijs in ipsis literis contentis, manutenerent, & conseruare valerent, etiam in omnibus, & per omnia, perinde ac si aliæ literæ conseruatoriæ præfatæ nullatenus emanassent, etiam per suas literas innouauerit, & de nouo concesserit, prout in singulis literis præfatis plenius continetur: cum que, sicut eadem expositio subiungebat, post vltimas Clementis prædecessoris literas huiusmodi, multæ aliæ conseruatoriæ, & iudicum deputationes in fauorem præfatorum, ac quamplurimorum aliorum studiorum, siue Vniuersitatum generalium, ac Cathedralium, Collegiatarum, aliarumque Ecclesiarum Capitulorum, nec non Compostellanensis, CæsarAugustanensis, Valentiniensis, Granatensis, Conchenensis, Carthaginensis, Seguntinensis, Segobienensis, Palentinensis, Oxomensis, Abulensis, Placentinensis, Salamantinensis, Cauriensis, Ciuitatensis, Ouetensis, Autiensis, Tudensis, Lucensis, Astoricensis, Mindonensis, Zamorensis, Gadicensis, Almaticensis, Marroquitensis, aliorumque Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, Priorum, & aliarum dignitatum maiorum, siue minorum, & particularium personarum, Ecclesiarum, monasteriorum, conuentuum, aliorumque locorum Ecclesiasticorum, & diuersorum Ordinum, etiam Mendicantium regularium, ac hospitalis Sancti Ioannis Hierosolymitanensis, aliarumque Militiarum, Hospitalium, Vniuersitatum, & Communitarum, tam per præfatum Clementem, quam ceteros, qui ab eo fuerunt, Romanos Pontifices Prædecessores nostros, ac etiam nos, & Sedem prædictam, illiusque Legatos, sub diuersis formis, ac verborum expressionibus factæ, concessæ, innouatæ, & ampliatæ fuerint, & vltimus Venerabilis frater noster Archiepiscopus Toletanensis Conservator supremus iudex omnium appellationum à grauaminibus, seu sententijs quorumcumque aliorum Conservatorum in Regnis Hispaniarum existentium, Apostolica auctoritate, specialiter constitutus extiterit, ac diuersa alia de nouo

nouo emanauerint, per quę illi quominus singulis literis præ-
 fatis libere uti, & per appellationem a suis Conseruatoribus præfatis
 ad dictam Sedem Apostolicam immediate recurrere possint, ac ali-
 as effectus literarum tam Leonis, quam Clementis prædecessorum præ-
 dictorum, nec non Conseruatorum, & iudicum, per illas deutorum, fa-
 cultas, & iurisdictione frequenter impediatur, ac propterea Militia præ-
 fata, & singulares illius personę sedi præfate immediate subiectę in
 prioratibus, præceptoribus, beneficijs, iuribus, iurisdictionibus, bonis,
 proprietatibus, fructibus, censibus, alijsq; rebus, nec non officialibus,
 vicarijs, seruitoribus, & vassallis præfatis, & diuersis alijs, sæpe nume-
 ro grauamina, iniurias, & incommoda recipiant in eorum detrimen-
 tum, & sibi attributę exemptionis læsionem, singulas Leonis, & Cle-
 mentis prædecessorum literas huiusmodi, ac quoad illarum totalem effe-
 ctum consequendum primò dictos Conseruatores, nec non Philippum
 Regem, & pro tempore existentem Magistrum, seu Administratorem
 ac Priores, Præceptores, fratres, officiales, seruitores, vassallos, ac quos-
 cunq; alios in ipsis literis comprehensos, eorumque Magistratum, Con-
 uentus, Prioratus, Baiullias, Præceptorias, Ecclesias, officia, & lo-
 ca quęcunq; etiam quoad præminentias, iura, & iurisdictiones, & ge-
 neraliter omnia, quę ad honorem, utilitatem, & exemptionem præfa-
 tę Militię, illiusq; Magistri, seu Administratoris, aliorumq; supradicto-
 rum, quocunq; iure, titulo, siue causa pertinebant, & pertinent, in
 pristinum, & eum, in quo ante illarum concessionem, quomodolibet erant,
 statum, authoritate Apostolica, & tenore prædictis, restituimus, repo-
 nimus, & plenarie reintegramus, ac Tolletanensis, & aliorum Conser-
 uatorum, ac iudicum constitutiones, & deputationes, earumq; innoua-
 tiones, & ampliationes præfatas in ea parte, qua primò dicti Conser-
 uatores, & Iudices, quo minus iurisdictionem, authoritatem, potesta-
 tem, & facultatem sibi per singulas literas præfatas attributas libere
 exercere, ac Philippus Rex, & pro tempore existens Magister, seu Ad-
 ministrator, ac Priores, Præceptores, fratres, & alij in ipsis literis con-
 tenti, illis uti, & ab ipsorum suorum Conseruatorum sententijs, decretis,
 declarationibus, grauaminibus, alijsq; actionibus quibuscunq; ad Se-
 dem præfatam, & Romanam Curiam, immediate appellare, prouo-
 care, & recurrere, causasq; appellationum huiusmodi inibi prosequi
 valeant, quomodolibet impediuntur, ac impediti, seu alias illis infu-
 turum quomodolibet præiudicari possint, reuocamus, ac super inde
 confectas literas, nec non processus per eas habitos, & inde sequuta
 quęcunq; cassamus, & annullamus, ac pro nullis, irritis, & viribus ca-
 rentes decernimus. Et insuper, saluis tamen decretis Concilij Tridē-

tini de Conseruatoribus, & exemptis loquentibus, statuimus, & ordinamus, quod deinceps in perpetuū, idem Philippus Rex, & pro tempore existens Magister, seu Administrator, ac Priores, Præceptores, fratres, officiales, familiares, seruitores, vassalli, & alij, vt præfertur expressi, vbiq; sint, vel degant, aut permaneant, ratione præmissorum, aut quorūcumq; aliorum in ipsis literis contentorum, coram alijs, quā supradictis suis Conseruatoribus, & Iudicibus conueniri, aut ad alios conueniendos compelli, nec ab eis, aut eorū gestis, præterquam á diffinitiuis sententijs, seu vim diffinitiuę habentibus appellari, & tunc appellationum causę, tam in personalibus, quam realibus, mixtis causis tam actiuę, quā passiuę, interponendarū, non nisi ad Sedem præfatam immediatę, & non alibi referri, ac inibi duntaxat audiri, & terminari possint, districtiüs inhibentes: Toletano etiā tanquam supremo, ac alijs præfatis, ceterisq; Iudicibus, & Conseruatoribus, nec non Archiepiscopis, Episcopis, Capitulis, conuentibus, vniuersitatibus, locis, & personis quibuscūq; præfatis, eorumq; singulis sub excommunicationis maioris, latę sententię, ac amissionis perpetuę suorum priuilegiorum, conseruatoriarū, facultatū, & exemptionum quorumcumq;, tam præsentium, quā futurorū, ne per quascumq; literas Apostolicas, seu priuilegia, facultates, & indulta, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicę potestatis plenitudine, nec non consistorialiter, ac intuitu, consideratione, contemplatione, vel ad instantiam Imperatoris, Regum, Reginarū, Ducū, & aliorum Principum quorūcumq;, ac alijs, sub quacumq; verborū forma, & expressione confectas, & concessas, aliquem, seu aliquos ex Philippo Rege, & pro tempore existente Magistro, seu Administratore, nec non Prioribus, Præceptoribus, fratribus, officialibus, familiaribus, seruatoribus, vassallis, & personis præfatis, auctoritate literarū ipsarū, vel alijs á quocumque prætextu, seu occasione contra tenorem singularū literarū Leonis, & Clementis prædecessorum huiusmodi communiter, vel diuisim coram se alicubi deinceps, ad iudicium, vel alijs vocare, seu in causam trahere præsumant, ac decernentes ex nunc præmissa omnia in fauorem dictę Militię concessa, ac Philippum Regem, & pro tempore existentem Magistrū, seu Administratorem, nec non Priores, Baiullicos, Præceptores, milites, fratres, officiales, seruitores, familiares, cappellanos, vassallos, & personas præfatas, & eorum singulos, tam ratione personarū, quā Magistratus, Præceptoriarum, seu Baiulliciarum, Conuentuū, Prioratuum, Ecclesiarum, & locorum quorumcumque, nec non bonorum fructuū, prouentuum, emolumentorum, priuilegiorum, exemptionum

num, rerum, & iurium, ac iurisdictionum, nec non præminentiarum omnium, & singulorum in supradictis literis contentorum, ad conueniendum aliquem, vel aliquos, aut respondendum coram alijs, quam dictis suis Conservatoribus, & Iudicibus, sine loci distinctione, & per appellationem ab eorum sententijs, & gravaminibus, tam actiue, quam passiuè alibi quàm apud Sedem prædictam immediate comparandum, prætextu similium, vel dissimilium privilegiorum, exemptionum, conservatoriarum, ac quorumcumq; aliorum indultorum, specialium, vel generalium, tam præfatis, quàm quibuscumque alijs personis Ecclesiasticis, monasterijs, Ordinibus, Militijs, & locis, nunc, & pro tempore concessorum, nullo tempore teneri, nec ad id per Nuncios, etiam Legatos de latere, seu quosuis alios quacumque authoritate, & facultate fungentes, & functuros, aut etiã per literas Apostolicas, etiam motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolicæ potestatis plenitudine, etiam cum præmissorum speciali, & expressa derogatione, pro tempore emanatis, compelli, ac propter non paritionem aliquas cëluras, & pœnas Ecclesiasticas, etiã priuatiuas, incurrere posse, ac approbationem, confirmationem, adiectionem, supplementationem, concessionem, innouationem, statutum, ordinationem, restitutionem, reuocationem, cassationem, annullationem, decreta, extensionem, inhibitionem, aliaque præmissa, & præfentes literas de subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ defectu, quouis prætextu, quasitovè colore, aut ingenio, nullatenus notari, vel impugnari posse, nec illas sub quibusuis similium, vel dissimilium conservatoriarum, privilegiorum, indultorum, & concessionum reuocationibus, suspensionibus, modificationibus, limitationibus, & derogationibus, alijsque contrarijs dispositionibus, etiam motu, & scientia, ac potestatis plenitudine, necnon consistorialiter, etiam per nos, & successores nostros, ac Sedem prædictam, etiam Imperatoris, Regum, & aliorum Principum contemplatione, & ex quibusuis, quantumcumque urgentissimis, & iustissimis causis, quomodolibet pro tempore factis, ac sub quibuscumque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis clausulis, etiam vim contractus, aut legis, seu statuti perpetui inducētibus, decreti, & aliàs quomodolibet concessis, & concedendis, ac quibusuis constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis desuper quomodolibet editis, & edendis, aliquatenus comprehendi, neque illis vlllo vnquam tempore etiam per Sedem præfata derogari posse, nec derogatum cœferi, nisi de toto tenore, & datis præsentium, expressa mentio habita, & derogatio, suspensio, limitatio, reuocatio, aliaque præfata de Militi-

tie huiusmodi Administratoris pro tempore existentis expresse cō-
 sensu factæ fuerint, & si aliter derogari, reuocari, suspendi, & limitari
 contigerit, derogationem, reuocationem, suspensionem, & limitatio-
 nem præfatas nullius esse roboris, vel momenti, & quoties illæ e-
 manabunt, toties in pristinum, & validissimum statum restituta, &
 de nouo etiam sub quacumque data per ipsum Administratorem,
 eligenda concessa esse, & censi, ac vim validi, & stipulati contrac-
 tus inter Sedem, & Militiam præfatas habere, & ita per quicumq;
 iudices, & Commissarios quauis authoritate fungentes, etiam Sacre-
 tæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, ac causarum Palatii Apostolici
 Auditores, sublata eis, & eorum cuilibet, quauis aliter iudicandi, &
 interpretandi facultate, & authoritate, iudicari, & diffiniri debere, ac
 ex nunc irritum, & inane, si secus super his à quoquam quauis au-
 thoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari. Quocirca ve-
 rabili fratri nostro Archiepiscopo Compostellano, & dilectis filijs
 Scholastico Salamantiniensi, ac Abbati secularis, & collegatæ Ec-
 clesiarum oppidi Complutensis Toletanæ diocesis per Apostolica
 scripta mandamus, quatenus ipsi, vel duo, aut vnus eorum per se, vel
 alium, seu alios, præsentem literas, & in eis contenta quæcumque vbi,
 & quando opus fuerit, ac quoties pro parte prædictorum Magistri,
 seu Administratoris, Prioris, Conuentus, Dignitatum, Preceptorum,
 seu Commendatorum, & Militum aliorumque fratrum, & persona-
 rum, seu membrorum eius, aut alicuius eorum fuerint requisiti, so-
 lemniter publicantes, eis, & eorum cuilibet in præmissis efficacis
 defensionis præsidio assistentes faciant, authoritate nostra, illos, eo-
 rumque singulos confirmatione, approbatione, adiectione, supple-
 tione, innouatione, statuto, ordinatione, restitutione, repositione, re-
 integration, cassatione, annullatione, decretis, inhibitione, alijsque
 supradictis iuxta præsentium literarum conuenientiam, & tenore
 pacifice frui, & gaudere, non permittentes eos, vel eorum aliquem,
 desuper per quoscumque quomodolibet indebitè molestari. Con-
 tradictores quoslibet, & inobedientes per sententias, censuras, & pœ-
 nas Ecclesiasticas, aliaque iuris remedia, eadem authoritate nostra, ap-
 pellatione postposita, compescendo, ac legitimis super his habendi
 seruatis processibus, eisdem sententias, censuras, & pœnas, etiam
 iteratis vicibus, quoties opus fuerit, aggravando, & interdictum Ec-
 clesiasticum imponendo, inuocato etiam adhuc, si opus sit, auxilio
 brachij secularis, non obstantibus præmissis, ac recolendæ memo-
 riæ Bonifacij Papæ VIII. similiter prædecessoris nostri, quæ cautur
 nequis extra suam ciuitatem, vel diocesim, nisi in certis exceptis ca-
 sibus,

sibus,

fibus, & in illis ultra vnam dietam, à fine suæ diœcesis ad iudicium
 euocetur, seu ne iudices à sede prædicta pro tempore deputati ex-
 tra ciuitatem, & diœceses, in quibus deputati fuerint, contra quos-
 cumque procedere, aut alij, vel alijs vices suas comittere præsumant,
 ac de duabus dietis in Concilio generali edita, dummodo quispiam
 ultra tres dietas ad iudicium, præsentium vigore, non extrahatur, alijs
 que quibusuis Apostolicis, nec non in Prouincialibus, & synodali-
 bus Concilijs editis generalibus, vel specialibus constitutionibus, &
 ordinationibus, ac etiam iuramento, confirmatione Apostolica, vel
 quouis firmitate alia roborotis statutis, & consuetudinibus, stabili-
 mentis, vsibus, & naturis, declarationibus, inhibitionibus, & decretis,
 priuilegijs quoque, indultis, exemptionibus, conseruatorijs, præserua-
 torijs facultatibus, & literis Apostolicis specialibus, & generalibus,
 Archiepiscopis, Episcopis, Abbatibus, Conuentibus, Capitulis, Ec-
 clesijs, Monasterijs, Ordinibus, Militijs, Hospitalibus, locisque præ-
 fatis, ac quibusuis Vniuersitatibus, Collegijs, & personis, sub quibus-
 cunque tenoribus, & formis, ac cum quibusuis suis etiam derogato-
 riarum derogatorijs, alijsque efficacioribus, & insolitis clausolis, it-
 ritantibusque, & alijs decretis in genere, vel in specie, etiam motu
 proprio, & ex certa scientia, etiam consistorialiter, ac aliàs quomo-
 dolibet concessis, ac etiam pluries approbatis, & innouatis, quibus
 omnibus, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eo-
 rumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua,
 non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu
 quæuis alia expressio habenda, aut aliqua exquisita forma ad hoc
 seruanda foret, illorum veriores tenores, formas, ac datas, ac si
 de verbo ad verbum insererentur præsentibus pro sufficienter ex-
 pressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permanens, hac
 vice dumtaxat, specialiter, & expresse derogamus, contrarijs quibus-
 cumque, seu si aliquibus communiter, vel diuisim ab eadem sit se-
 de indultum, quod interdici, suspendi, vel excommunicari non
 possint per literas Apostolicas non facientes plenam, & expressam,
 ac de verbo ad verbum de indulto huiusmodi mentionem. Nulli
 ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum absolu-
 tionis, approbationis, confirmationis, adiectionis, suppletionis,
 concessionis, innouationis, statuti, ordinationis, restitutionis, re-
 uocationis, cassationis, annullationis, decretorum, extensionis, in-
 hibitionis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario con-
 traire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem
 Omnipotentis Dei, ac beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius

se noverit incursum. Datis Romæ apud Sanctum Petrum anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo sexagesimo sexto, quinto idus Ianuarij, Pontificatus nostri anno primo. Caesar gloriosus. Ioannes Baptista Farchier, registrata apud Zelarem secretarium. **P. Q. S. T. Q. V. A. R. V. M.** quidem literarum Apostolicarum præsentationem, & receptionem nobis, & per nos, sic ut præmittitur, factas, fuimus pro parte tam Christianissimi, ac inuictissimi Domini **PHILIPPI** Hispaniarum Regis Catholici Magistri, ac perpetui Administratoris, eiusque successorum ac præfatorum Priorum, Præceptorum, Commendatorum, fratrum, militum, & aliorum Religiosorum, ac personarum dicte Militiæ pro se, & eorum successoribus dicti Conuentus, ac Militiæ Sancti Iacobi, principalium in præinsertis literis principaliter nominatorum, debita cum instantia requisiti, quatenus ad executionem dictarum literarum Apostolicarum, & in eis contenta, procedere dignaremur, iuxta traditam, seu directam pæccas à Sede Apostolica nobis formam, tenorem, & continentiam. Nos igitur D. Antonius de Torres Abbas, Iudex, & executor præfatus attendentes requisitionem huiusmodi fore iustam, & consonam rationi, volentesque mandatum Apostolicum nobis in hac parte directum reuerenter exequi, ut tenemus. Id circo authoritate Apostolica nobis commissa, & qua fungimur in hac parte, præfatas literas Apostolicas, & hunc nostrum processum, ac omnia, & singula in eis contenta, vobis omnibus, & singulis supradictis communiter, vel diuisim intimamus, insinuamus, & notificamus, ad vestram, & cuiuslibet vestrum notitiam deducimus, & deduci volumus per præfentes, vosque nihilominus, & vestrum quemlibet, authoritate Apostolica prædicta, tenore præsentium, requirimus, & monemus primo, secundo, tertio, & peremptoriè, communiter, & diuisim, ac vobis, & vestrum cuiuslibet in virtute Sanctæ obedientiæ, & sub infra-scriptis sententiarum pœnis districtè præcipièdo mandamus, quatenus, infra sex dies post præsentationem, seu notificationem præsentium, & requisitionem, vobis, seu alteri vestrum, desuper factas, immediate sequentes, quorum sex dierum, duos pro primo, duos pro secundo, & reliquos duos dies vobis, vniuersis, & singulis pro tertio, & peremptorio termino, ac monitione canonica assignamus, præinsertas literas Apostolicas, & in eis contenta, quæcumque, vbi, & quando opus fuerit, ac quoties pro parte præfatorum inuictissimi, ac Catholici domini **PHILIPPI** Hispaniarum Regis

ac Administratoris perpetui, eiusque successorum, ac dominorum
 Conuentus, Priorum, Præceptorum, seu Commendatorum, fratrum,
 militum, & aliorum Religiosorum, ac personarum, seu membrorum
 dictæ Militiæ nunc, & pro tempore existentium, vel alicuius eorum
 fueritis, seu alter vestrorum fuerit requisitus, solemniter publicantes,
 eisque, & eorum cuilibet in præmissis in præinsertis literis Apostoli-
 cis contentis, efficacis defensionis præsidio assistentes faciatis, & qui
 libet vestrum faciat eos, & eorum singulos autoritate Apostolica
 prædicta, confirmatione, approbatione, adiectione, suppletionem, in-
 nouatione, statuto, ordinatione, restitutione, repositione, reintegra-
 tione, cassatione, annullatione, decretis, inhibitione, alijsque supradic-
 tis præmissis in præinsertis literis contentis pacifice frui, & gaudere:
 ac eadem præinsertas literas, & in eis contenta quæcumque firmiter
 obseruari, nec permittatis eos, vel eorum aliquem desuper per quos-
 cumque quomodolibet, indebite molestari, perturbari, vel impediri.
 Quod si fortè præmissa omnia, & singula non adimpleueritis, seu
 contuleritis contumaciter adimplere, mandatisque, & monitionibus
 nostris huiusmodi, imò veritas Apostolicis non parueritis, nos in
 vos omnes, & singulos supradictos, qui culpabiles fueritis, in præ-
 missis, & generaliter in contraditores quoslibet, & rebelles, ac impe-
 dientes præfatos dominos Regem, & Administratorem, & eius suc-
 cessores, nec non Conuentum, Priores, Præceptores, seu Commen-
 datores, aut fratres, Milites, & alias personas, seu membra dictæ Mili-
 tiæ, nunc, & pro tempore existentes, in præinsertis literis principaliter
 nominatos, seu eorum aliquem, aut ipsorum procuratores, super
 præmissis in aliquo, aut impediensibus ipsis dantes auxilium, consi-
 lium, vel fauorem publicè, vel occultè, directè, vel indirectè, quouis
 quæsito colore, vel ingenio, cuiuscumque dignitatis, status, gradus
 ordinis, vel conditionis existant, & nunc, prout ex tunc, & è contra
 prædicta sex dierum canonica monitione præmissa, excommunicati-
 onis: in Capitula verò, Conuentus, & Collegia quæcumque in his
 forsitan delinquentium, & rebellium Ecclesias, monasteria, & capel-
 las, interdicti Ecclesiastici sententias ferimus in his scriptis, & etiam
 promulgamus, Vobis vero illustrissimis, ac reuerendissimis Patribus
 dominis Archiepiscopis, & Episcopis præfatis dumtaxat exceptis,
 quibus ob reuerentiam vestrarum Pontificalium dignitatum deferimus
 in hac parte, si contra præmissa, aut eorum aliquod feceritis,
 seu fieri mandaueritis per vos, vel alium, seu alios publicè, vel occul-
 tè, directè, vel indirectè, quouis quæsito colore, vel ingenio, ex nunc
 prout ex tunc, & è conuerso, præfata sex dierum canonica monitio-

ne præmissa, ingressus vestrarum Ecclesiarum interdiciamus, in his scriptis, post verò huiusmodi interdictum per alios sex dies præfatos sex immediate sequentes, vos in eisdem scriptis, simili canonica monitione præmissa, suspendimus à divinis, verum si præfatas interdicti, ac suspensionis sententias, per alios sex dies præfatos duodecim immediate sequentes, animo (quod absit) sustinueritis indurato, vos ex nunc, prout ex tunc, & è conuerso, huiusmodi canonica monitione præmissa, in his scriptis, excommunicationis sententia, auctoritate Apostolica supra dicta, innodamus. Cæterum cum ad executionem præmissorum ulterius faciendam nequeamus, quoad præsens, personaliter interesse pluribus alijs arduis in nostra Collegiata legitimè præpediti negotijs Discretis viris dominis Priori monasterij Sancti Martini Ordinis Sancti Benedicti, & Commendatori monasterij Beatæ Mariæ de Mercede, & Ministro monasterij Sanctissimæ Trinitatis oppidi de Madrid, nunc, & pro tempore existentibus, Vniuersis quoque, & singulis dominis Abbatibus, Præpositis, Decanis, Archidiaconis, Scholasticis, Cantoribus, Custodibus, Thesaurarijs, Succentoribus, sacristis, tam Cathedralium, quam etiam Metropolitanarum, quam Collegiatarum Canonicis, parochialiumque Ecclesiarum Rectoribus, seu Loca tenentibus eorundem, Plebanis, Viceplebanis, Archipresbyteris, Vicarijs perpetuis, Capellanis curatis, & non curatis, Altaristis, Presbyteris, Clericis, ac cæteris viris Ecclesiasticis, in quibuscumque dignitatibus, gradibus, vel officijs notarijsque, & tabellionibus publicis quibuscumque per præfatas ciuitates, dioceses, seu regna, ac aliàs vbilibet constitutis, & eorum cuilibet insolidum super ulteriori executione dicti mandati Apostolici, atque nostri faciendæ, auctoritate Apostolica suprascripta, tenore præsentium, plenariè committimus vices nostras, donec eas ad nos specialiter, & expresse duxerimus reuocandas, Quos nos etiam, & eorum quemlibet insolidum requirimus, & monemus, primo, secundo, tertio, & peremptoriè communiter, & diuisim, eisque nihilominus, & eorum cuilibet in virtute sanctæ obedientiæ, & sub excommunicationis pena, quam in eos, & eorum quemlibet insolidum, nisi fecerint quæ mandamus, ferimus, in his scriptis præcipiendo mandamus, quatenus infra sex dies post præsentationem, seu notificationem præsentium, ac requisitionem eis, seu eorum alteri desuper factas immediate sequentes, quorum sex dierum, duos pro primo, duos pro secundo, & reliquos duos dies, ipsis, & cuilibet eorum, pro omni dilatione, terminoque peremptorio, ac monitione canonica assignamus. Ita tamen quod in his exequendis vnus eorum alterum non expectet,

pectet, nec vnus pro alio, seu per alium, se excuset, ad vos omnes, & singulos supradictos, personasque, & loca alia, siue Capitula, & Collegia, de quibus, vbi, quando, & quoties opus fuerit, personaliter accedant, seu accedat, & prefatas literas Apostolicas superius insertas, huncque nostrum processum, ac omnia, & singula in eis contenta vobis omnibus, & singulis supradictis, communiter, vel diuisim, legant, intiment, insinuent, & fideliter publicare procurent, ac eisdem inuictissimo, ac Christianissimo Domino Philippo Hispaniarum Regi Cathelico, ac Magistro, & perpetuo Administratori, eiusque successoribus, necnō dominis Conuentui, Prioribus, Praeceptoribus, seu Commendatarijs, fratribus, militibus, ac alijs religiosis, ac personis, seu membris dictae Militiae, nunc, & pro tempore existentibus, vel aliquibus eorum, in praemissis omnibus, & singulis in praesertis literis Apostolicis contentis, efficacis defensionis praesidio assistentes faciant, & quilibet eorum faciat eos, & eorum singulos auctoritate Apostolica, supradicta confirmatione, approbatione, adiectione, supplementatione, inuouatione, statuto, ordinatione, restitutione, repositione, reintegratione, cassatione, annullatione, decretis, inhibitione, alijsque supradictis praemissis in praesertis literis Apostolicis contentis, pacifice frui, & gaudere, ac eisdem praesertis literas Apostolicas, & in eis contenta quaecunque firmiter obseruari. Nec permittant eos, vel eorum aliquem desuper per quoscumque, quomodolibet indebite molestari, perturbari, vel impediti: contradictores quoslibet, & rebelles per censuras Ecclesiasticas, & alia iuris remedia, appellatione postposita, auctoritate Apostolica supradicta, compescendo. Et nihilominus, si forte omnes, & singuli supradicti, quibus praesens noster processus dirigitur, mandatis, ac monitionibus nostris huiusmodi, imo verius Apostolicis parere, & obedire recusarint, Nos ex nunc, prout ex tunc, & vice versa, praedictum gloriosissimum, ac inuictissimum Principem, & dominum Philippum Hispaniarum Regem Catholicum, omnesque alios, & singulos dominos Principes, Duces, Comites, Marchiones, Varones, ceterosque nobiles per praedicta regna, ac alias vbilibet existentes iurisdictionem temporalem, & ordinariam quomodolibet exercentes, eorumque Loca tenentes, & eorum quemlibet ex parte dicti domini nostri Papae requirimus, & nostra affectuosè rogamus, quatenus infra sex dierum spatium post praesentationem, seu notificationem praesentium, & requisitionem eis, seu eorum alteri desuper factas immediatè sequentes, quorum sex dierum, duos pro primo, duos pro secundo, & reliquos duos dies eis vniuersis, & singulis pro tertio, & peremp-

torio termino, ac monitione canonica, assignamus, omnes, & singulos in præmissis inobedientes, & rebelles per captionem, & restrictionem, ac incarcerationem, & bonorum detentionem compellant, etiam manu forti, absque tamen graui læsione corporum eorundem, & aliàs ipsos inobedientes, & rebelles astringant potentia brachij secularis, donec ad obedientiam sanctæ matris Ecclesiæ deuenierint, ac mandatis processibusque nostris antedictis paruerint, Beneficium quoque absolutionis à supradictis nostris sententijs meruerint obtinere. Et generaliter, omnia alia, & singula nobis in hac parte commissa plenarie exequantur, omniaque, & singula in dictis literis Apostolicis superius insertis, ac in hoc nostro processu contenta debite executioni demandentur, iuxta præinsertarum literarum Apostolicarum, & præsentis nostri processus vim, formam, & continentiam, atq; tenorem. Ita tamen quod dicti Subdelegati nostri, aut qui cumq; alius, seu alij nihil in præiudiciũ dictorum inuictissimi, ac Christianissimi Domini Hispaniarum Regis Catholici Magistri, ac perpetui Administratoris, & eius successorum, ac dominorum, Conuentus, & Priorum, ac Præceptorum, Commendatorum, & aliarum personarum, seu membrorum dictæ Militiæ Sancti Iacobi ab Spata principalium in præinsertis literis principaliter nominatarum, vel alicuius eorum valeant attentare, quomodolibet in præmissis absolvendo, vel suspendendo aliquid immutare. Per processum autem nostrum nolimus, nec intendimus nostris in aliquo præiudicare collegis, quominus ipsi, aut eorum alteri, seruato tamen hoc nostro processu, in huiusmodi negotio procedere valeant, prout eis, vel eorum alteri videbitur expedire. Præfatasque literas Apostolicas, & hunc nostrum processum volumus penes dictum dominum Philippum Regem, ac Administratorem, eiusque successores, ac Conuentum, & Priores dictæ Militiæ huiusmodi regulæ, eorumque procuratores remanere, & non per vos, aut quemcumque alium, ipsi inuitis, detineri Contrarium verò facientes præfatis nostris sententijs, censuris, & pœnis, prout in his per nos latè sunt dicta, canonica monitione præmissa, ipso facto, volumus subiacere. Mandamus tamen copiam fieri de præmissis eam petentibus, & habere debentibus, petentium quidem sumptibus, & expensis. Absolutionem vero omnium, & singulorum, qui præfatas nostras sententias, seu earum aliquam incurrerint, siue incurrerit, quoquomodo nobis, vel superiori nostro tantummodo reseruamus. In quorum omnium, & singulorum fidem, robur, & testimonium præmissorum, præsentis literas, siue præsens publicum processus instrumentum, exinde fiet.

ri, & per Notarium publicum infra scriptum subscribi, & publicari mandauimus, sigilloq; dictæ Collegiæ, quo utimur in similibus, iurimus, & fecimus appensione communiti. Datis, & actis in oppido Complutensi in domo habitationis nostræ solite residentis, sub anno à Natiuitate Domini, millesimo quingentesimo octuagesimo quarto, Indictione duodecima, die verò decima nona mensis Ianuarij, Pontificatus sanctissimi in Christo patris, & Domini Nostri Domini Gregorij diuina prouidentia Papæ Decimertij, anno eius duodecimo, presentibus ibidem dominis Christophoro de la Flor Notario, & sancto Cauallero, & Ambrosio Fernandez testibus ad præmissa vocatis, atque rogatis.

Doctor Dominus Antonius de Torrès

Abbas Complutensis Index Apostolicus.

Cosmas de Vega Notarius.

Et ego Cosmas de Vega publicus, Apostolica auctoritate, Notarius in archiuo Romana Curia descriptus ciuis Toletanus in hoc oppido de Madrid residens, quia præmissis omnibus, & singulis, vna cum præfato domino Abbate indice Apostolico executore, & testibus, præsens interfui: ideo hoc præsens publicum instrumentum suo originali collationatum signavi, & subscripsi rogatus, & requisitus.

Cosmas de Vega Notarius.

BULLA DO PAPA NICOLAO DE EX-
empção da Ordem de Sam Tiago.

194 **N**ICOLAVS Episcopus seruus seruorum Dei. Dilectis filijs Magistro, seu Governatori, ac militibus, & fratribus Ordinis Militiæ Sancti Iacobi de Spata in Regno Portugalliæ cõtitutis salutem, & Apostolicam benedictionem. Et si Romanus Pontifex religiosas, ac Sanctimonie vitæ deditas personas, aliarumque Ordines ex sua beneuolentiæ magnitudine priuilegijs, aliorumque fauorum gratijs iugiter prosequatur, ad illos præcipue munificentia suæ liberalitatis exuberantius extendit, qui Christi nominis emulos pro orthodoxæ fidei ampliatione, indefessis viribus, promptisque præcordijs, tam corporum, quam rerum periculis minime recusatis, constanter cernuntur expugnare, quosque suos prædecessores Ro-

manos Pontifices similibus percipit gratijs, & fauoribus, persecutos extitisse. Nos igitur dilecti filij nobilis viri Ludouici Gondigalei Baronis militis dictæ militiæ Sancti Iacobi de Spata Charissimi in Christo filij nostri Alfonsi Portugalliæ, & Algarbij Regis illustris Consiliarij, ac Ambasiatoris ad nos destinati, ex parte dilecti filij nobilis viri Doni Fernandi Principis Portugalliæ perpetui Gubernatoris dicti Ordinis nobis nuper expositis supplicationibus inclinatis, sinceræque deuotionis affectu, quæ ad nos, & Romanam Ecclesiam gerere comprobamini, diligenter attento, ea quæ pro singulis oppressio- nibus seclusis operosius valeatis ad Dei laudem in huiusmodi pugna perseuerare, vobis fauorabiliter concedere volentes, nec non felicitis recordationis Lucij Tertij, & Martini Quinti Romanorum Pontificum prædecessorum nostrorum vestigijs inherentes, vos, vestrique Ordinis professores, Magistratum, Conuentus, Monasteria, & loca in dicto Regno Portugalliæ constituta, cum omnibus, & singulis personis, ac seruitoribus, membris, rebus, bonis, iuribus, & pertinentijs suis, quæ vos, & quilibet vestrum, ac personarum, & seruitorum prædictorum in præsentiarum possidetis, & possidet, nec non quæ, dante domino, in futurum poteritis, ac poterit adipisci, ab omni iurisdictione, dominio, potestate, visitatione, correctione, & superioritate Ordinariorū, Iudicum, Correctorum, & superiorum aliorum, tam temporalium, quam ecclesiasticorum secularium, & regularium quorumcumque vsque ad Apostolicæ Sedis beneplacitum, autoritate Apostolica, tenore presentium, prorsus eximimus, ac etiam plenariè liberamus, nosque, & illa sub Beati Petri, & Sedis prædictæ protectione, suscipimus, atque nostra, ac exemptos esse volumus, & exempta, nobisque, & eidem Sedi immediatè subest; ita quod huiusmodi durante beneplacito, Ordinarij, Iudices, Correctores, & Superiores prædicti, etiam ratione delicti, seu contractus, aut rei, de qua agitur, vel vbiunque committatur delictum, iniatur contractus, aut res ipsa consistat, nullā in uos, aut aliquem vestrum, Magistratus, ac Conuentus, Monasteria, loca, personas, seruitores, membra, res, & bona supra dicta possint iurisdictionem, potestatem, dominium, correctionem, visitationem, seu superioritatem quomodolibet exercere, sed duntaxat coram vobis, & à Sede prædicta delegatis teneamini, & teneantur de iustitia respondere: bonæ memoriæ Innocentij Papæ Quarti etiam prædecessoris nostri, & qualibet alia constitutione Apostolica in contrarium edita non obstante, Decernentes ex nunc omnes, & singulos processus, ac excommunicationum, suspensionum, & interdicti sententias, quos, & quas contravos, Conuentus, Mo-
na
nasteria

nafteria, loca, personas, seruitores, & membra huiusmodi haberi, seu etiam promulgari, & quicquid contra exemptionis, liberationis, & susceptionis nostrarum huiusmodi tenorem, atque formam a quoquam, quavis authoritate, scienter, vel ignoranter attentari contigerit, irrita, & inania, nulliusque fore roboris, vel momenti. Nulli ergo omnino hominum liceat, hanc paginam nostrae exemptionis, liberationis, susceptionis, voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicae millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo, quarto decimo Kalendas Iulij, Pontificatus nostri anno secundo.

BULLA DO PAPA MARTINHO DA
exempção da Ordem de Santiago.

MARTINVS Episcopus servus servorum Dei Dilectis filiis Magistro, & fratribus Ordinis Militiae Sancti Iacobi de Spata salutem, & Apostolicam benedictionem. Gloriosa Religionis vestrae Militia, qua adversus Christi nominis emulos certando vos, & vestra exponitis intrepide, curis indefessis, sinceræque devotionis affectus, quem ad nos, & Romanam Ecclesiam gerere, comprobamini; meretur non indigne ut ea vobis favorabiliter concedamus, per quæ, singulis oppressionibus abiectis, corde tranquillo in huiusmodi certamine feruentias, & quietius possitis Altissimo militare. Nos igitur ex praemissis, & certis alijs causis animum nostrum mouentibus, felicitis recordationis Lucij Papa Tertij praedecessoris nostri vestigijs inherentes, vestris etiam in hac parte supplicationibus inclinati vos, vestrique Ordinis professores, Conventus, Monasteria, & loca, cum omnibus personis, membris, rebus, bonis, iuribus, & pertinentijs suis, & quæ vos, & quilibet vestrum in praesentiarum possidetis, & possidet, nec non quæ, dante Domino, in futurum poteritis, ac poterit adipisci, ab omni iurisdictione, dominio, potestate, visitatione, correctione, & superioritate Ordinariorum, Iudicum, & superiorum aliorum, tam secularium, quam regularium quorumcumque usque ad Apostolicæ Sedis beneplacitum, authoritate Apostolica, tenore praesentium,

riam, prorsus extimimus, ac etiam plenarie liberamus, vosque, & illa sub Beati Petri, & Sedis prædictæ protectione suscipimus, atque nostra, ac exemptos esse volumus, & exempta, vobisque, & eidem Sedi immediatè subesse: itaque huiusmodi durante beneplacito, Ordinarij, iudices, & superiores dicti, etiam ratione delicti, seu contractus, aut rei, de qua agatur, vel ubicumque committatur delictum, iniatur contractus, aut res ipsa consistat, nullam in vos, vel aliquem vestrum, ac Conuentus, Monasteria, loca, personas, membra, res, & bona supradicta possint, iurisdictionem, potestatem, dominium, correctionem, visitationem, seu superioritatem quomodolibet exercere, sed dumtaxat coram nobis, & Sedis prædictæ Delegatis teneamini, & teneantur de iustitia respondere. Bonæ memoriæ Innocentij Papæ Quarti etiam prædecessoris nostri, & qualibet alia constitutione Apostolica in contrariam edita, non obstante, decernentes ex nunc omnes, & singulos processus, ac excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententias, quos, & quas contra vos, conuentus, Monasteria, loca, personas, & membra huiusmodi haberi contigerit, seu etiam promulgari, irrita, & irritas & inanes. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostræ exemptionis, liberationis, susceptionis, voluntatis, & constitutionis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare presumpserit, indignationem Omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Datum Genezani, Prænestinæ diocesis, tertio Kalendas Augusti, Pontificatus nostri anno undecimo.

BULLA DE ALEXANDRE

*Terceiro de confirmação da Ordem de
San Tiago.*

ALXANDER Seruus seruorum Dei. Dilectis filijs Petro Fernandi Magistro Militiæ Beati Iacobi, eiusq; fratribus clericis, & laicis, tam presentibus, quam futuris communem vitam professis in perpetuam memoriam, Benedictus Deus in donis suis, & Sanctus in omnibus operibus suis. Qui Ecclesiam suam noua semper prole facundat, & sic pro patribus filios in ea facit exurgere, sic à generatione in generationem notitiam nominis sui, & lucem fidei Christianæ

tiana diffudit. Vt sicut ante ortum Solis Stellæ sese ad occasum in firmamento sequuntur, ita in ecclesiasticis gradibus generationes iustorum, antequam veniat dies Domini magnus, & horribilis, & tenebras nostras veri Solis splendore illuminet, per tempora sibi succedant. Et sicut multi sæpe per caudam Draconis deiciuntur in terram: Ita, & per adoptionem spiritus quotidiana fiat reparatio perditorum, & de profundo inferni ad quærenda multi cælestia erigantur, & ita corpore teneantur in terra, vt tanquam ciues Sanctorum, & domestici Dei cogitatione, ac desiderio conuersentur in Cælis. Hoc sane temporibus nostris in partibus Hispaniarum de diuino factum numine gratulamur; vbi nobiles quidam viri peccatorum vinculis irretiti, & miseratione illius, qui vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt, superna gratia sunt afflati, & tacti super multis transgressionibus suis dolore cordis intrinsecus, & præteritorum agentes penitentiam peccatorum, non solum possessiones nostras terrenas, sed & corpora sua in extrema dare quæque pericula pro Domino decreuerunt. Et ad exemplum Domini nostri Iesu Christi, qui ait, non veni facere voluntatem meam, sed eius, qui misit me patris. In habitu, & conuersatione Religionis sub vnius Magistri stauerunt obedientia commorari, eo vtiq; moderamine propositum suum, & Ordinem temperantes, vt quia vniuersa turba fidelium in coniugatos, continentisque distinguitur; & Dominus Iesus Christus non solum pro viris, sed, & pro feminis quoque de femina nasci voluit, & cum hominibus conuersari. Habeantur in ipso Ordine, qui calibem, si voluerint, vitam ducant, & consilium Beati Pauli sequantur, quo dicit, de Virginibus autem præceptum Domini non habeo, consilium autem do. Sint etiam, qui iuxta institutionem Dominicam, ad procreandum sobolem, & incontinentiæ præceptum vitandum coniugibus suis vtantur, & vna cum eis ad incolatum supernæ Patriæ, de cõualle lacrymarum, et terrena transire peregrinatione nitantur, & lachrymis diluant, & operibus pietatis, si eos super fundamentum suum, quod Christus est, pro cura carnis, & affectibus liberorum, ligna, fœnũ, stipulam ædificare contingat, cũ alij expeditiores, & continentes ædificent aurum, argentum, & lapides pretiosos. Et isti tamen, & illi militant vni Regi, & super vnum fundamentum cælestem vnam ædificent manssionem promissione Psalmistæ in Domino roborati, qui minora quoque membra Ecclesiæ confortat, & dicit imperfectum meum viderunt oculi tui, & libro tuo omnes scribentur. In horum autem fidelium Christi collegio tu, Dilecte in Domino fili Petre Fernandi, per voluntatem Dei, Magis-

terium super alios, & providentiam suscepisti. Qui cum quibusdam fratrum tuorum ad presentiam nostram accedens cum humilitate, qua decuit, à Sede Apostolica requisisti, ut vos tanquam peculiare filios in defensionem nostram, & locum, in quo caput ordinis factum fuerit, in ius, & proprietatem sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ recipere deberemus. Unde nos, devotionem vestram, & bonum in Domino desiderium attendentes, de communi fratrum nostrorum consilio, in speciales, & proprios Sacrosanctæ Romanæ Ecclesiæ filios vos recipimus, & Ordinem vestrum, autoritate Apostolica, confirmantes, presentis scripti privilegio communimus statuantes, ut quascumque possessiones, quæcunque bona impresentiarum iustè, & legitime possidetis, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum, vel Principum, oblatione fidelium, seu alijs iustis modis, præstante Domino, poteritis adipisci, firma vobis, vestrisque successoribus, & illibata permaneant, in quibus hæc proprijs duximus exprimenda vocabulis. Lodium, & Monasterium, cum cauto, & pertinentijs suis. Burgum de Ponti Numi contra Lodium cum suis pertinentijs. Crescente cum cauto, cum suis pertinentijs. Quintanella de Petro Herres cum cauto, & suis pertinentijs. Harria cum cauto, & suis pertinentijs. Leucanio cum suis pertinentijs. Sanctum Salvatorem de Listriana cum cauto, & suis pertinentijs. Monquor cum cauto, & suis pertinentijs. Penagoscum cum suis pertinentijs. Sancta Maria de Pinel, cum suis pertinentijs. Alfarella cum suis pertinentijs. Orella cum suis pertinentijs. Mora cum suis pertinentijs. Mora Veja cum suis pertinentijs. Veles cum suis pertinentijs. Decimo de Valera, & de Portuego cum suis pertinentijs; Strema cum suis pertinentijs; Alcaçar cum suis pertinentijs. Almadana cum suis pertinentijs. Larada cum suis pertinentijs. Lazarça cum suis pertinentijs. Sancimus præterea ne occasione antiquæ detentionis, siue scripturæ quisquam vobis possit auferre, quæ ultra memoriam hominum sub Sarraconorum detenta sunt potestate, & de munificentia Principum, seu vestro studio, & labore, aut iam obtenta sunt, aut in futurum, auxiliante Domino, poteritis obtinere. Cum enim unica sit vobis intentio, & singularis cura imminet semper pro defensione Christiani nominis decertare, nec solùm res, sed & personas ipsas pro tuitione fratrum incunctatè exponere, plurimum posset hoc piùm opus, & laudabile studium impediri, si labores, & stipendia vestra, quæ in commune proficiunt, perciperentur ab alijs, & otiosi ac desidiosi, atque in laboribus suis non quæ Iesu Christi, sed quæ sua sunt requirentes, emolumenta illa perciperent, quæ pro tantis

tis laboribus vobis, & pauperum Christi vsibus sunt prouisa, dicente
 Apostolo, qui non laborat non manducet. Interea sane quæ in profes-
 sionis Vestre Ordine statutum est obseruari, primum est, vt sub vni us
 Magistri obedientia in omni humilitate, atq; concordia, sine pro-
 prio, viuere debeatis: illorum fidelium exemplum habentes, qui ad fidem
 Christianam Apostolorum prædicatione conuersi vendebant om-
 nia, & ponebant pretium ad pedes illorum, diuidebaturq; singulis, pro vt
 cuiq; opus erat, nec aliquis eorum, quæ possideret, quicquam suum esse
 dicebat, sed erant eis omnia communia. Ad suscipiendam quoq; pro-
 lem, quæ in timore Domini nutriatur, & infirmitatis humanæ re-
 medium iuxta institutionem Domini, & indulgentiam Apostoli
 qui ait, Bonum est homini mulierem non tangere, propter fornicationem
 autem vnusquisq; uxorem suam habeat, & similiter Mulier
 Virum suum, qui continere nequiverit, coniugium sortiatur, & seruet in-
 uiolatam fidem uxori, & Vxor Viro, nec thori conjugalis continentia
 violetur. Si autem viri præmortui fuerint, & relictæ ipsorum, qui Or-
 dinem susceperunt, nubere voluerint, denuncietur hoc Magistro, siue
 Comendatori, vt cum illius Conscientia, cui mulier ipsa vult, nubat se-
 cundum verbum Apostoli Pauli dicentis. Mortuo viro, soluta est mu-
 lier à lege viri, cui vult nubat tantum in Domino, quod etiam de vi-
 ris intelligitur obseruandum, vna etenim vtrique lege tenentur: statui-
 mus quoq; vt nullus fratrum, siue sororum post susceptionem Ordinis
 vestri, & promissam obedientiam, vel redire ad seculum, vel ad alium Or-
 dinem, sine Magistri licentia, audeat se transferre. Cum sint in Ordi-
 ne vestro loca statuta, vbi quisque districtius valeat conuersari, disce-
 dentem vero nullus audeat retinere, sed ad Ordinem suum per censu-
 ram Ecclesiasticam, qui discesserit, redire cogatur. Vt autem in Or-
 dine vestro, cum maiori omnia deliberatione, tractentur, statutum est
 inter vos, vt locus aliquis ordinetur, in quo per singulos annos in
 solemnitate omnium Sanctorum generale Capitulum teneatur: & sic
 ibi Clericorum Conuentus, & Prior, qui eorum, & aliorum Clericorum,
 qui de Ordine vestro fuerint, curam possit habere, ac fratrum, cum ne-
 cesse fuerit, prouideat animabus. Sint autem & tredecim in Ordine
 fratres, qui Magistro, cum opus fuerit, in consilio, & dispositione do-
 mus assistant, & eligendi Magistri curam habeant competentem. Prior
 siquidem clericorum, cum Magister migraverit de hac luce de Do-
 mo, & Ordine sollicitudinem gerat: Cui, sicut Magistro, omnes obedi-
 entes existent, donec per prouidentiam tredecim prædictorum fratrum
 Magistri electio celebretur. Is, cum transitus Magistri fuerit auditus,
 & cognitus, tredecim illos fratres sine dilatione aliqua conuocabit,

& si quisquam eorum infirmitate, vel alia ex causa infra quinquaginta dies, adesse nequiverit, cū aliorū consilio, qui præsentes fuerint, aliū loco constituet, ut Magistri electio ex aliquorū absentia minime differatur. Illi vero tredecim fratres, si Magister, qui pro tempore fuerit perniciosus, aut inutilis apparuerit, cum consilio Prioris Clericorum, & sanioris partis Capituli maioris Domus corrigendi, aut etiā amovendi cū, habeant potestatem, & si inter eum, & Capitulum aliquid emergerit quæstionis, debitū ei finem interponant, ne per aliena iudicia, vel dilabatur Ordo, vel temporalis substantia dissipetur. In nullam autem ex hoc fratres superbiam eleventur, sed Magistro suo deuoti, & obedientes existant. Quod si quis eorum ex hac vita transferit, vel pro culpa, seu alia quacūq, occasione fuerit mutandus, Magister cū consilio reliquorū, aut maioris partis, aliū loco eius substituat. In Capitulo autē, quod annis singulis duximus celebrandum, tredecim isti fratres, & Cōmendatores domorū, nisi euident, & magna eos necessitas derinuerit, ad statutū locum incunctanter occurrāt, & communiter tractent, quæ ad profectum Ordinis, animarū salutē, & sustentationem corporum fuerint statuenda. Vbi præcipue ad defensionem Christianorū intendere moneantur, & districte præcipiatur, ut in Sarracenos non mundanæ laudis amore, non desiderio sanguinis effundendi, non terrenarum rerum cupiditate grassentur, sed id tantum in pugna sua intendatur, ut vel Christianos ab eorum tueantur incursu, vel ipsos ad culturam possint Christianæ fidei prouocare, eligantur, & tūc Visitatores idonei, qui domos fratrum per anni circulum fideliter visitent, & quæ ibi digna correctione inuenierint, aut ipsi corrigant, aut ad generale Capitulum deferant corrigenda. Clerici præterea vestri Ordinis, per villas, & oppida simul maneāt, & Priori, qui super eos fuerit ordinatus, obedientes existant, & filios fratrum, qui eis à Magistro commissi fuerint, instruunt scientia literarū & fratribus, tam in vita, quā in morte spiritualia subministrent. Induentur autem superpellicijs, & Conuentum, & Claustrū sub Prioris suo tenebunt, & humiliter faciant quod ab ipso illis secundum Deū fuerit imperatum. Vbi fratres quoq, de quibus Magistro visum fuerit, conuersentur, & non sint otiosi, sed vacent orationi, & alijs operibus pietatis: Clericis veto de laboribus, & alijs bonis à Deo præstitis decimæ reddantur à fratribus, vnde libros, & alia congrua Ecclesiarum faciant ornamenta, & in necessitatibus corporis conuenienter sibi provideant, & si aliquid super fuerit, secundum prouidentiam Magistri in usus pauperum erogetur: Ut autem cōcordia inter vos charitalq, seruetur, & à peccato detractionis, & murmuris cuncti debeant

debeant abstinere. Qui Cōmendator in quolibet loco fuerit institu-
tus, pro facultate domus, in sanitate, & aegritudine, quod cuique opus
fuerit, cum ea sollicitudine, ac beneuolentia subministret, vt neque
in substantia parcitatem, nec in verbo amaritudinem gerere videa-
tur. Sit vobis praeipua cura hospitem, & indigentium, & necessaria il-
lis pro facultate Domus liberaliter conferatur: exhibeatur Praelatis
Ecclesiarum honor, & reuerentia: subministretur cunctis Christi fide-
libus Canonicis, Monachis, Templarijs, Hospitalarijs, alijsq; in San-
ctae Religionis obseruantia positis consiliū, & auxilium, quorumli-
bet etiam indigentia, si facultas fuerit, subleuetur, vt Deus in vestris
glorificetur operibus, & alij, qui viderint, humilitatis, & charitatis ves-
trae prouocentur odore. Ad haec adijciendum decernimus, vt si locus
aliquis, in quo Episcopus esse debeat, in vestram venerit potestatem,
sit ibi Episcopus, qui Ecclesijs, & clero suo designatos sibi redditus,
& possessiones, & Episcopalia iura percipiat, reliqua vero cedant in
vltus vestros, & vestra dispositione, sine cuiusquam contradictione,
persistant. Profecto in Parochialibus Ecclesijs, quas habetis, nolu-
mus Episcopos suo iure fraudari, si autem in locis desertis, aut ipsis
terris Sarracenorum de nouo Ecclesias construxeritis, Ecclesiae ille
plena gaudeant libertate, nec aliqua per Episcopos decimarum, aut al-
terius rei exactione grauentur: liceatq; vobis per clericos vestros
idoneos easdem Ecclesias cum suis plebibus gubernare, nec interdicto
per Episcopos, vel excommunicationi subdantur: sed fas sit vobis tam
in maiori Ecclesia, quae caput fuerit Ordinis, quam in illis etiam, excom-
municatis, & interdictis exclusis, diuina semper officia celebrare: Pre-
terea ne humanis vexationibus, & calumnijs, a defensione Christia-
norum retrahi valeatis, Apostolica auctoritate, decernimus; ne perso-
nas vestras, praeter Legatum Sedis Apostolicae a latere Romani Ponti-
ficis destinatum, interdiceret quisquam, aut excommunicare praesu-
mat. Quod etiam de familijs, & seruentibus vestris statuimus, qui
stipendia vestra percipiunt, donec iustitiam parati fuerint exhibere, nisi
si forte talis fuerit culpa, ex qua, ipso facto, Ecclesiasticam censuram
incurrant. Chrisma vero, & oleum Sanctum, consecrationes altarium,
scu Basilicarum, ordinationes clericorum vestrorum, qui ad sacros
ordines fuerint promouendi, a Diocesano suscipietis Episcopo, si qui-
dem Catholicus fuerit, & gratiam, atq; communionem Apostolicae
Sedis habuerit, & ea gratis, & absq; aliqua prauitate voluerit vobis ex-
hibere. Alioquin liceat vobis quem malueritis adire Antistitem, qui
nostra fultus auctoritate quod postulatur indulgeat: liceat praeterea
vobis in locis vestris, vbi quatuor fratres, vel plures fuerint, oratoria
construere.

construere, in quibus fratres, & familiae vestre tantum, & diuinum
 audire officium, & Christianam habere possent sepulturam: ita enim
 volumus necessitati vestre consulere, ut non debeant ex hoc adiacē-
 tes Ecclesiae iniuriam sustinere. Cum autem generale interdictum
 terre fuerit, liceat vobis, clausis ianuis, exclusis excommunicatis, &
 interdictis, non pulsatis campanis, suppressa voce, diuina officia cele-
 brare. Nihilominus praesenti decreto statuimus, ut si quis in aliquem
 vestrum, fratrum videlicet, vel sororum, violentas manus iniecerit, ex-
 communicationis sententia, sit adstrictus, & illud idem pro tutela
 vestra tam in sententia, quam in pena seruetur, quod sub felicis
 memoriae Papa Innocentio praedecessore nostro, de tuitione Cleri-
 corum generali Concilio noscitur institutum. Decernimus ergo, ut
 nulli omnino hominum liceat iura, vel possessiones vestras temere
 perturbare, aut bona vestra auferre, vel ablata retinere, minuere, seu
 quibuslibet vexationibus fatigare, sed illibata omnia, & integra con-
 seruentur eorum, pro quorum gubernatione, & sustentatione concessa
 sunt, vsibus omnimodis profutura, salua Sedis Apostolicae autorita-
 te. Ad iudicium autem huius a Sede Apostolica perceptae libertatis
 decem Malachinos nobis, nostrisque successoribus annis singulis per-
 soluetis. Si qua igitur in futurum Ecclesiastica, secularisue persona
 hanc nostrae constitutionis paginam sciens contra eam venire ten-
 tauerit, secundo, tertio comonita, nisi praesumptionem suam digna
 satisfactione correxerit, potestatis, honorisque sui dignitate careat
 reamque, se diuino iudicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat
 & a Sacratissimo Corpore, & Sanguine Dei, & Domini Redempto-
 ris nostri I E S V Christi aliena fiat, atque in extremo examine dis-
 trictae ultioni subiaceat. Cunctis autem vobis iura vestra seruantibus
 sit pax Domini nostri I E S V Christi, quatenus, & hic fructum bo-
 nae actionis percipiant, & apud districtum Iudicem praemia aeternae
 pacis inueniant, Amen. Vias tuas, Domine, demonstra mihi. Sanctus
 Petrus, Sanctus Paulus. Alexander Papa tertius. Ego Alexander Ca-
 tholicae Ecclesiae Episcopus. Ego Gualterius Albanensis Episcopus.
 Ego Ioannes Presbyter Cardinalis Sanctorum Ioannis, & Pauli, ti-
 tuli Pammachij. Ego Ioannes Presbyter Cardinalis tituli Sanctae
 Anastasiae. Ego Albertus Presbyter Cardinalis tituli Sancti Lauren-
 tij in Lucina. Ego Bosson Presbyter Cardinalis Sanctae Pudencianae
 tituli Pastorum. Ego Manfredus Presbyter Cardinalis tituli Sanctae
 Ceciliae. Ego Petrus Presbyter Cardinalis tituli Sanctae Sabinae. Ego
 Iacintus Diaconus Cardinalis Sanctae Mariae in Cosmo, & Damiano
 Ego Ardicio Diaconus Cardinalis Sancti Theodori. Ego Cynthius
 Diaconus

Diaconus Cardinalis Sancti Adriani. Ego Vitellius Diaconus Cardinalis Sanctorum Sergij, & Bachi. Ego Laborans Diaconus Cardinalis Sanctæ Marię in Porticu. Ego Raynuncius Diaconus Cardinalis Sancti Georgij ad velum aureum. Ego Viuianus Diaconus Cardinalis Sancti Nicolai in carcere Tulliano. Datum Ferrentinij per manum Gratiani Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Subdiaconi, & Notarij. Tertio nonas Iulij, Indictione octaua, Incarnationis Dominicę anno millesimo centesimo septuagesimo quinto, Pōtificatus vero Domini Alexandri Papę tertij anno sexto decimo.

BVLLA DE CALIXTO TERCEIRO DA

exempção da Ordem de Sam Tiago.

196 **C**ALIXTVS Episcopus seruus seruorum Dei, Dilectis filijs Magistro, seu Governatori, militibus, & fratribus Ordinis Militiæ Sancti Iacobi de Spata in Regno Portugalliæ constitutis Salutem, & Apostolicam benedictionem. Pręter communem debitum, quo ex Apostolatus officio cęteris fidelibus debitores existimus, vos, & Militiæ vestrę Ordinē eó specialius paterna dilectione complectimur, ac prędecessorum nostrorum gesta vestrum potissimę, & ipsius Militię fauorem, & commodum concernentia nostri etiam muniminis robore solidamus, quó pro tuitione catholice fidei, eiusque propagatione, atque pręsidio, contra Christiani nominis inimicos, cum proprij effusione cruoris, viteque periculo, continuo decertatis; Dudum siquidem felicis recordationis Nicolaus Papa V. prędecessor noster vos, ac ipsum Ordinem vestrum fauoribus prosequens opportunis, ad instar pię memorię Lucij III. & Martini V. Romanorū Pontificum, etiam prędecessorum nostrorū eorundem inhærendo vestigijs inter alia vos, vestrique Ordinis professores, Magistratus, Conuentus, Monasteria, & loca in dicto Regno Portugallię constituta cum omnibus, & singulis personis, & seruatoribus, mębris, rebus, bonis, iuribus, & pertinentijs suis, quę vos, & quilibet vestrum, ac personarum, & seruatorum prędictorum tunc possidebatis & possiderent, nec non quę, dante Domino, in futurum possitis adipisci, ab omni iurisdictione, dominio, potestate, visitatione, correctione, & superioritate Ordinariorum, iudicum, correctorum, & superiorum aliorum tam temporalium, quam ecclesiasticorum seculariū, & regularium quorumcumque vsque ad Apostolicę Sedis beneplacitum prorsus exemit, ac plenarię liberauit, vosque & illa sub Beati Petri, & Sedis Apostolicę, atque sua protectione suscepit, ac exēp-

tos esse voluit, & exēpta, sibiq; & eidē Sedi immediatē subesse ita
 quod, huiusmodi durāte beneplacito, Ordinarij, iudices, correctores,
 & superiores prēdicti, etiā ratione delicti, seu cōtractus, aut rei, de qua
 ageretur ubicūq; cōmitteretur delictū, iniretur cōtractus, aut res ipsa
 cōsisteret, nullā in vos, aut aliquē vestrū, Magistratus, ac Cōuentus,
 monasteria, loca, personas, seruitores, mēbra, res, & bona supradicta
 possēt iurisdictionē, potestātē, dominiū, correctionē, visitationē, vel
 superioritatē quomodolibet exercere, sed dūtaxat corā ipso prædece
 ssore, & à Sede prēdicta Delegatis, tenerētur de iustitia respōdere: de
 cernens extūc ōnes, & singulos processus, ac excommunicationū, sus
 pēisionū, & interdicti sētētias, quos, & quas cōtra vos, Conuētus, mo
 nasteria, loca, & personas, seruitores, & mēbra huiusmodi haberi, seu
 etiam promulgari, & quidquid contra exemptionis, liberationis, &
 susceptionis earundem tenorem, atque formam à quoquam, quavis
 auctoritate scienter, vel ignoranter attentari contingeret, irrita, & ina
 nia, nulliusque fore roboris, vel momenti, prout in ipsius prædeces
 soris literis plenius continetur; Cum autem, sicut exhibita nobis nuper
 pro parte vestra petitio continebat, tam dilectus filius nobilis vir Fer
 dinandus Infans Portugalliaē Gubernator perpetuus dicti Ordinis,
 nec non charissimi in Christo filij nostri Alfonsi Regnorum Portu
 galliaē, & Algarbij Regis Illustris germanus, quān Ordo præfatus
 quasi possessionem, & exemptionis, & libertatis, vigore literarum ea
 rundem, adepti fueritis, cupiatque ea omnia, & singula etiam nos
 tro munimine roborari, & pariter approbari, pro parte vestra nobis
 fuit humiliter supplicatum, vt vestro, ac præfati Ordinis, illiusque mi
 litum, confratrum, & personarum statui, quieti, & indemnitati prof
 picere, nec non omnes, & singulas lites, & causas præmissorum occa
 sione exortas coram quibuscunque Ordinarijs, siue delegatis iudici
 bus quomodolibet pendentes ad Nos, ex certa scientia, aduocare, il
 lasq; & lites huiusmodi penitus extinguere, ac aliās vestraē, & Ordi
 nis antedicti tranquillitati opportune providere de benignitate A
 postolica dignaremur. Nos itaq; attēta meditatione pēsātes quantū
 hætenus Christi fidelibus, & fidei nostraē Ordo præfatus utilitatis at
 tulerit, valeatq; annuēte Domino, indices afferre, pijs huiusmodi pos
 tulationibus annuētes, ac ōnes, & singulas lites, & causas huiusmo
 di corā quibusvis Ordinarijs, siue delegatis iudicibus, & ubicūq; pē
 dētes, quaru status præfatis haberi volumus pro expressis, ad nos
 hatū serie, aduocātes, & lites huiusmodi penitus extinguētes, eis de
 nique litigatoribus super his perpetuum silentium imponentes, ex
 emptionem, liberationem, susceptionem, ac literas Nicolai præde
 cessoris

cessoris præfati, omniaque, & singula in eis contenta, auctoritate Apostolica ex certa scientia ratificamus, approbamus, & confirmamus, eisque nostri muniminis robur, firmitatemque adijcimus, ita quod de cætero nullatenus aliquorum impugnationi subiaceant, nec possint quomodolibet de subreptione notari, & nihilominus pro potiori cautela vos, professores Magistratus, Conuentus, Monasteria, & loca prædicta, cum personis, seruitoribus, membris, bonis, iuribus, & pertinentiis suis, ab omni iurisdictione, dominio, potestate, visitatione, correctione, & superioritate Ordinariorum, iudicum, correctorum, & superiorum aliorum, ut præfertur vsq; ad beneplacitum antedictum de nouo prorsus eximimus, & totaliter liberamus, exemptosque, & liberos esse volumus, eidem Sedi duntaxat immediate subesse; statuentes quod de cætero Ordinarij, iudices, correctores, & superiores prædicti, etiam si ad eos, vel ipsorum aliquos Rectorum, Ecclesiarum nostrarum, seu Vicariorum earundem institutio dictarum Ecclesiarum, seu beneficiorum ecclesiasticorum collatio, prouisio, præsentatio, seu quæuis alia dispositio de iure, vel consuetudine, quoquomodo pertineant ultra institutionem, seu collationem, prouisionem, vel præsentationem huiusmodi, ac alia iura Episcopalia eis debita, nullam in vos, aut aliquem vestrum, Magistratus, Conuentus, monasteria, loca, personas, seruitores, membra, res, & bona prædicta iurisdictionem, potestatem, dominium, correctionem, visitationem, vel superioritatem, quomodolibet valeat exercere, sed coram nobis, & Sede, ac Delegatis prædictis, ut præfertur, de iustitia respondere in antea teneamini. Volumus autem quod dilectus filius Prior maior dicti Ordinis pro tempore existens, quoties tempus visitationis ingruerit, aut alias sibi videbitur opportunum, personas Ecclesiasticas, Vicarios videlicet, & Rectores, & ecclesiarum huiusmodi visitare, ac illorum excessus, quoties opus fuerit, corrigere libere, & licite valeat, iuxta canonicas sanctiones; contraditores per censuras ecclesiasticas, appellatione postposita, compescendo, non obstantibus felicis recordationis Bonifacij Papæ VIII. etiam prædecessoris nostri, quæ incipit cum personis; ac alijs constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, necnon omnibus illis, quæ prædecessores præfati in suis literis voluerunt non obstare, cæterisque contrarijs quibuscumque, seu quod dudum inter Gubernatorem, milites, & confratres dicti Ordinis, ac locorum Ordinarios quædam super Vicariorum prædictorum visitatione, & correctione, conuentiones, & pacta sub certis modo, & forma tunc expressis, prout in publicis documentis, quorum omnium tenores præsentibus habere volumus, pro expres-

sis plenius continetur, inita, & firmata fuisse perhibentur, quibus quoad visitationem, correctionem, & alia præmissa dūtaxat, derogari volumus, & scientia simili expresse derogamus, ipsis aliàs in suo robore permanens. Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam nostrorum aduocationis, extinctionis, impositionis, notificationis, approbationis, confirmationis, adiectionis, exemptionis, liberationis, statuti, voluntatis, & derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præsumpserit, indignationem omnipotentis Dei, & Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum eius se noverit incursum. Datum Romæ apud Sanctum Petrum Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quadringentesimo quinquagesimo quinto, decimo Kalendas Aprilis, Pontificatus nostri anno primo.

BULLA DE IVLIO SECVNDO PARA OS

Mestres, Priores, & mais Visitadores das Ordens de São Tiago, & de Avis procederem contra os que impedirem sua jurisdição.

197 **D**ILECTE fili, salutem, & Apostolicam benedictionem. Sincere deuotionis affectus, quem ad nos, & Romanam gens ecclesiam promeretur: ut petitionibus tuis, quantum cum Deo possumus, fauorabiliter annuamus. Dudum siquidem pro parte tua nobis exposito, quod aliàs postquam tu, & tunc Prior, & Preceptor maiores, ac alij milites, & fratres Militiæ de Avis Cisterciensis Ordinis, cuius tu Magister, sine Administrator per Sedem Apostolicam deputatus existis, in vestro Capitulo generali inter alia statueratis, & ordinaueritis quod ex tunc, perpetuis futuris temporibus, Commendatores, Priores, Milites, fratres, & aliæ personæ dictæ Militiæ pro tempore existentes, de omnibus bonis suis mobilibus, & immobilibus, & alijs quibuscumque, etiam patrimonialibus, ac ex successionebus quorumcunque eis pro tempore obuenientibus, & per eos, ex eorum industria, vel aliàs vndeunque acquisitis, ac ex fructibus, redditibus, & prouentibus Commendatariorum, Preceptoriarum, beneficiorum, portionum, stipendiorum, & præstationum, tam inter vivos, quam in vltimis voluntatibus, disponere libere, & licite possent: dummodo Milites, Commendatores, Priores, fratres, & personæ præfati medietatem fructuum vnius anni Preceptoriarum, Commendatariorum, beneficiorum, & portionum, stipendiorum, & præstationum prædictarum, quæ à dicta Militiæ habent, Magistro, & Administra-

ministratori dictæ Militiæ pro tempore existenti, aut officialibus ab eo deputatis, in tribus annis continuis a die per eos habitorum fructuum, reddituum, & proventuum, stipendiorum, ac præstationum huiusmodi computandis, pro rata soluere, quæ per præfatum Magistrum in fabricâ dictæ Domus de Auis, seu aliû vsû, per dictum Magistrum, prout sibi videretur, exponi deberet, & certa alia tunc expressa in dicto statuto contenta adimplere tenerentur. Nos tunc statuta, & ordinationes huiusmodi approbauimus, & confirmauimus: sibi que, vt jurisdictionem, quam in professores, & subditos, etiã reddituarios dictæ Militiæ de Auis, quam etiam Sancti Iacobi de Spata, cuius etiam Magister similiter deputatus existis, de iure, vel consuetudine exercere consueueras, illam per te, vel officiales tuos, appellatione remota, exercere valeres, indulgimus: prout in nostris inde confectis literis plenius continetur. Cum autem, sicut nobis nuper exponi fecisti, post expeditionem dictarum literarum nostrarum, & magnas per te expensas factas, nonnulli professores milites, Priores, fratres, & subditi, etiam reddituarij, seu aliæ personæ dictarum Militiarum, fauoribus principum secularium, & suarum potentiarum fulti absq; vlla rationabili causa tibi, & alijs eorum superioribus, quemadmodum ex stabilimentis, & ordinationibus dictarum Militiarum tenentur, obedientiam exhibere, & alia in statutis, & ordinationibus prædictis contenta obseruare neglexerint, ac negligant, & renuant de præsentis: Nos, qui vt ea, quæ in dictis Religionibus sanctè, maturèq; stabilita, & ordinata, ac per nos, & Sedem Apostolicam confirmata, & approbata sunt, firmiter obseruentur, desideramus, tuis in hac parte supplicationibus inclinati, tibi vt in his, quæ censuram ecclesiasticam non exposcunt, per te, vel officiales tuos prædictos: in alijs vero quæ censuram ecclesiasticam requirunt, aut in genere, vel in specie, sint fulminandæ censuræ per Priores maiores Conuentuum Militiarum prædictarum, illarumque Visitatores per te, & diffinitores in Capitulis generalibus deputatos, vel alios deputandos in præbyteratus ordine constitutos, sub censuris, & penis ecclesiasticis, eas, quoties oportunum fuerit, aggrauando, seu reaggrauando, inuocato etiam ad id, si opus fuerit, auxilio brachij secularis: Quoscunque professores, milites, Priores, fratres, & subditos prædictos, videlicet eiusdem Militiæ de Auis, circa medietatis solutionem fructuum præmissorum & aliorum inobedientes, & rebelles, ac debitam illorum solutionem, negantes, nec non ad institutionum, statutorum, & ordinamentorum Ordinum, & regularum prædictarum Militiarum, tam prædictos de Auis, quam etiam Sancti Iacobi de Spata professores, Priores

Milites, & fratres, & subditos, etiam reddituarios, nec non alias personas subditas predictas bona beneficialia ipsarum Militiarum habentes, circa obedientiam, visitationes, ac statuta, & stabilimenta, solutiones, & alia per predictos Magistro, & eorum superioribus praestari, & observari consuecta, ac per Sedem Apostolicam concessa, & approbata, etiam in Capitulis per vos ordinandis observationem respectivè cogere, & compellere. Nec non quibuscunque Praelatis, & alijs personis tam ecclesiasticis, quam secularibus, quacunque ecclesiastica, vel mundana dignitate fulgentibus, ac cuiuscunque conditionis, statusue fuerint, ne in correctione, visitatione, & manutentione bonorum, aut institutione personarum dictarum Militiarum, ac alias contra privilegia, jurisdictionem, & exemptionem, statuta, stabilimenta approbata, & confirmata, ut supra, dictarum Militiarum se quomodolibet intromittere praesumant, inhibere liberè, & licitè valeas: Quodque munus absolutionis à dictis censuris nullus alius, praeterquam dicti Priores, & Visitatores, veniam petentibus impedire possit, Apostolica auctoritate, tenore praesentium, de specialis dono gratiae, facultatem concedimus, & impartimur. Constitutionibus, & ordinationibus Apostolicis, ac dictarum Militiarum iuramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus, ac naturis: nec non quibuscunque indultis, & privilegijs Apostolicis, etiam per nos, vel Sedem Apostolicam quibusvis personis quacunque ecclesiastica, vel mundana dignitate fulgentibus, super correctione, visitatione, manutentione, & reparatione, tam ecclesiarum, quam institutione personarum, & bonorum dictarum Militiarum quomodolibet concessis, ac si de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales de eis mentio habenda foret, per praesentes derogamus, ceterisque contrarijs non obstantibus quibuscunque. Datum Romae apud Sanctum Petrum, sub annulo Piscatoris, die XX. Februarij MDV III. Pontificatus nostri anno quinto, A. Gallipolit.

CARTA DE EL REY DOM SEBASTIAO,

porque manda se cumpra a carta nella inserta sobre o modo do Juizo, & appellaçoens das Ordens, por ser confirmada por o Summo Pontifice.

198 **D**OM Sebastião por graça de Deos Rey de Portugal, & dos Algarues daquem, & dalem mar em Africa, senhor de Guine & da conquista, nauegação, Comercio de Ethiopia Arabia, Persia,

Persia, & da India &c. Como Governador, & perpetuo Administrador, que sou da Ordem, & Cauallaria do Mestrado de Avis. A quantos esta minha carta virẽ faço saber que por ver a obrigaçõ, que tinha dar forma, & algũa boa maneira, que os feitos, & causas dos Comendadores, Caualleiros, & Freires da dita Ordem fossem melhor, & mais breuemente despachados, & ás partes fosse administrada Iustica mais inteiramente, & se escusarem gastos, & despelas, & outros inconuenientes, que auia no modo em que se despachauam, ordeneci, & estabelleci, que no despacho dos feitos, & causas dos ditos Comendadores, Caualleiros, & Freires da dita Ordem, assim ciueis, como crimes, & mixtos, deque o conhecimento pertence ao Iuis della por seu regimento, se tiuesse a forma, & maneira conteuda em hũa minha prouisaõ que d'isso passei, deque o traslado he o seguinte.

¶ Dom Sebastiaõ por graça de Deos Rey de Portugal, & dos Algarues daquem, & dalem mar em Africa, senhor de Guine, & da conquista, nauegaçõ, comercio de Ethiopia, Arabia, Persia, & da India &c. Como Governador, & perpetuo Administrador, que sou da Ordem, & Cauallaria do Mestrado de Avis, a quantos esta minha carta virem faço saber, que vendo eu a muita obrigaçõ, que tenho a ordenar, & prouer o modo, & maneira com que os Comendadores, Caualleiros, & Freires, Clerigos, & pessoas regulares da dita Ordem, & as mais partes ajaõ breue despacho, & em seus feitos, & causas melhor, & mais breuemente sejaõ despachados no juizo da dita Ordem, & selhes administre iustica inteiramente, & assy por ser informado, que determinandosse as tais causas, & feitos assi crimes como ciueis, & mixtos dos ditos Comendadores, Caualleiros, & Freires, que huns contra outros traziaõ, ou de outras pessoas cõtra elles, pello Iuis da dita Ordem sõmente, que os Mestres, & Governadores della meus Antecessores tiueraõ sempre em suas casas, & Cortes, ou relatandosse os ditos feitos, & causas pello dito juiz na Mesa do despacho da Consciencia, & Ordens, & despachandosse finalmẽte com o parecer dos Deputados della, como por El Rey meu senhor, & avõ, que santa gloria aja, como Governador, & perpetuo Administrador da dita Ordem foi ordenado, da qual sentença final dada pello dito juiz da Ordem quando por si sõmente determinaua os ditos feitos, nem depois quando os determinaua, com o parecer dos ditos Deputados, senão recebia appellaçõ, conforme aos priuilegios Apostolicos concedidos à dita Ordem, & aos estatutos, & posse antiga, costume della (pello que as partes ficauaõ com hũa sõ instancia) & não alegando nella tudo o que a sua iustica conui-

